




V
B
J
C
17863

SYNODUS
DIOECESANA VILNENSIS


Ab

Jllustrissimo, Excellentissimo
ac Reverendissimo Domino
D. MICHAELE
JOANNE
ZIENKOWICZ
Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPO VILNENSI
In Ecclesia Cathedrali Sua,
Anno Dñi MDCCXLIV. Diebus 10. 11. 12. *M. Febr:*
CELEBRATA.
TYPIS MANDATA



Vilnæ Sacr: Reg: Majestatis Academ: Soc: JESU.

In AVITUM DECUS
JLLUSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI
LOCI ORDINARII.



I.

Dum Synodi Leges clarescunt *Luce Sagittæ*, — Habacuc 3.
Quælibet hìc *Lex Lux* jure vocanda venit. — Prov: 6.

II.

De radiis Lux nata Crucis, quem Præsulis ornat — Div: Amatus.
Clerum, sat. Clarum quis neget esse modò.



AD JLLUSTRISSIMUM, EXCELLENTISSIMUM AC REVERENDISSIMUM DOMINUM PROLOCUTIO DEDICATORIA.



Edeunt iterum, unde nuper provenerant Synodalium Sanctionum Statuta, ad Te Latorem suum PRÆSUL ILLUSTRISSIME, *ut superatis Typographicis umbris, antequam in lucem publicam prodeant,* in luce Sagittarum Tuarum *nitorem sortiantur. Quamvis Legem esse Lucem non dubitamus, quâ à Via Veritatis deviantes, ad tramitem rectitudinis reducuntur, meliùs* Habacuc 3.

nitet tamen, si supremi Legis Latoris authorizatam præseferat Majestatem, ILLUSTRISSIMUM *induat splendorem, quem his Constitutionibus Avita* ILLUSTRISSIMÆ DOMUS TUÆ *Sagitta præbet; Illuminabit certè illa his, qui in tenebris ignorantiæ, & in umbra morum depravatorum sedent, imprimet hoc Characteristicum Telum cordibus Fidelium Tibi subditorum* Legem Vitæ & disciplinæ, *quam in hisce Sanctionibus, ferreo stylo, quia ad perennitatem duraturam exarâsti. Discet Orbis Palæmonicus, & sera loquetur posteritas, Qualis Præsul & Quantus fueras Pastor? cum in his Legibus summæ perfectionis, pietatis, & Iustitiæ Tuæ legerit Documenta, qualiter Zelo zelando pro Gloria DEI, lucro Animarum, perfectione statûs Ecclesiastici, ac extirpatione deniq; cunctarum hæresum, providè* in Justitia, Sanctitate, & Veritate *statueris cum Illo Cælesti Legislatore*: Singulis quibusq; vitiis obviantia adhibendo medicamenta. *Et ut Gregem sibi commissum ad Pascua Vitæ æternæ reduceres*, factus *es Ipse* forma Gregis ex animo, *Sanctioris vitæ exemplis, omnigenam probitatem singulis proponendo, Pastorali vigilantiâ continuisq; laboribus, in hac etiam ætate, in qua plures deficere coguntur, Operarios messis Domini excitando, reliquos verò* ad Opus ministerii sui *hisce Decretis, quæ Ipse ab adolescentia servare didicisti, impellendo;*

omnes

Eccli 45.

S. Greg: Hom: 12. in Evang:

1. Petri 3.

ad Ephes 4

omnes itaq; quos tot retroactis Annis in Lege Domini *erudieras, nunc Synodaliter congregatos* Verbo & exemplo *docuisti, qualiter Vocationem suam videre, & Te Duce sequi debeant. Nunc Ergo cum jam omnia perfeceris, Omnium conatus & desideria impleveris;* nam Quod infirmum fuit consolidâsti, quod ægrotũ sanâsti, quod confractum alligâsti, quod abjectum reduxisti. *Quid restat amplius, nisi ut rectefactorum Tuorum Laudes decantentur, sed cum vox totius Cleri Tibi devoti, pro extollendis meritis Pastoris sui gratiosissimi, elevare tonum non valeat, Cælestis Hierarchiæ concentu sublimetur, verùm & hæc pagina Legis sonantiam habens,* Dabit vocem Virtutis Tuæ, *cum in publicam Lucem evolaverit, antequam verò hanc arripiet viam, nunc Tuis Pastoralibus advolvitur plantis; quatenus Pontificia Cruce insignita, Avitis* fulgurantis Hastæ *Tuæ splendoribus illustrata, excussis malegestorum tenebris Littavum illuminet Orbem, Nomenq; Tuum clariùs in Illa resonet per ævum.*

Psal. 1. Ezech. 35. Psal. 67. Nahum 3.

Ita etiam precatur


JLLUSTRISSIMÆ, EXCELLENTISSIMÆ ac REVERENDISSIMÆ Celsitudinis TUÆ

Subjectissimus Cliens & Servus humillimus,
VICTORINUS Al: HRYNCEWICZ
Can: Livon: Auditor Causarum Curiæ suæ Jllmæ Celsitudinis, Synodi Secretarius.

Acceſsus ad Synodum.

POſt expeditam Viſitationem generalem, tum per ſe, tum per Delegatos ſuos, totius Diœceſis ac inclytæ Eccleſiæ Cathedralis ſuæ, præhabita etiã Congregatione generali Jlluſtriũ Decanorum de inſtituenda hac Sacra Synodo, Jlluſtriſſimus, Excellentiſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Loci Ordinarius poſt maturã deliberationẽ, ac de conſilio VV. Capituli ſui, indixit illã per ſpeciale Edictum Anno immediatè elapſo 1743. Die 29. Menſis Octobris emanatum, tum in Eccleſia ſua Cathedrali, in Epiphania Domini inter Feſta mobilia publicare fecit. Tandem per ſeorſivas ſchedulas vulgari idiomate impreſſas, quatuor hebdomadis hanc Synodum præcedentibus, in ſingulis Eccleſiis ſuæ Diœceſis, piis operibus & devotioni Chriſti Fidelium commendavit, quatenus eorũ precibus hoc opus quàm fauſtiſſimum ſortiatur effectum. Adveniente itaq; termino hujus Synodi Die nempe 10. Menſis Februarii, denuntiataq; pridie per ſchedulas horą de inſtituenda prima Proceſſione pro deductione Jlluſtriſſimi Domini Loci Ordinarii ad Eccleſiam Cathedralem ſuam, Convenit VV. Capitulum cum ſuis Jlluſtriſſimis Infulatis, Reverendiſſimi Abbates, Jlluſtres Decani, & Univerſus Clerus totius Diœceſis ad Palatium ſuæ Jlluſtriſſimæ Celſitudinis; indeq; inſtituta eſt Proceſſio ſonantibus campanis in omnibus Eccleſiis hujus Civitatis, deductusq; eſt Jlluſtriſſimus ad ſuã Eccleſiam Cathedralem, ubi poſtquam pervenerat, cantavit Miſſam de Spiritu Sancto, tum præmiſſis Orationibus & conſvetis Cæremoniis, juxta Pontificale Romanum, Cæremoniale Epiſcoporum, & præſcriptum Gavanti, Allocutus eſt Clerum in tenore ſequenti.

SERMO



SERMO PASTORALIS

ILLUSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI D. Loci ORDINARII Vilnensis,

Ad initium 1mæ Sess: Habitus.



Uem pridem intendebam, diu desiderabam, hodie Auxiliante DEO fortunatum Conatuum meorum assecutus sum finem, dum circa exitum dierum meorum in perfecta Corona Fratrum & Consacerdotum me video consistere, & Synodum Diœcesanam in Nomine] Domini inchoare. Impediebant quidem eousq; ab illa celebranda permultæ adversitates, Calamitosorum Annorum revolutiones, continuò emergentes difficultates: Retardabant firmissimum propositum satisfaciendi muneri Nostro Pastorali publica Ecclesiæ negotia, & graves Ejusdem necessitates. Sed dum *fecit mihi magna, Qui potens est*, & adjuvit infirmitatem meam in superandis difficultatibus, amotisq;

amotisq; cunctis periculis concessit tempus congregandi vos in unum, superabundo gaudio non tantùm exinde, quòd fruor præsentiâ omnium vestrûm tanquam Rectorum Ecclesiarum, & Custodum Animarum, Sangvine Christi acquisitarum, verùm magis exinde, quòd habeo opportunitatem tractandi Vobiscum de Gloria DEI, de disciplina Ecclesiastica, de fructu spirituali laborum vestrorum: habeo tempus loquendi Vobis confidenter sinè cura Verborum, potiùsq; vellem loqui Vobis ad cor, quàm ad aures; quia magis opto Vos esse Sanctiores, quàm Sapientiores: habeo aptam occasionem adhortandi & admonendi Vos in veritate & charitate non ficta, ut abundetis in spiritu: proficiatis in Virtutibus. Quibus igitur Vos alloquar verbis, robur pectoris Nostri Consacerdotes in Christo Charissimi, quô efficaciùs excitabo affectu Vos in partem Ministerii Nostri vocatos Adjutores, nisi illô Doctoris Gen-
I. ad Co-rinth: I. tium utar oraculô: *Fratres videte Vocationem Vestram*: Illam nempe Vocationem, quâ de Tenebris in admirabile Lumen, de Ægypto in Terram promissionis educti estis, illam Vestram videte Vocationem, à qua propria Vestra & commissarum custodiæ Vestræ ovium pendet salus: *Quia si Vos* (ait S. Augustinus) *per quos condiendi sunt Populi, amiseritis Regna Cælorum, qui erunt Homines, per quos à Vobis error auferatur, cum Vos elegerit DEUS, per quos errorem auferat Cæterorum.* Talis itaq; Vocatio-

nis

nis Vestræ est obligatio, ut non tantùm Ipsi sobriè, justè & piè viventes in hoc sæculo, ad Cælestem Gloriam recto tramite procedatis, sed verbo & exemplo Vestro prælucentes, alios ad eandē dirigatis, errantibus in tenebris peccatorū, & in umbra mortis sedentibus, viā salutis demonstretis; Lucernā bonorum operum & doctrinæ Christianæ præferentes, præcipiente veritate æterna: *Sic luceat Lux* Matt: 5.
Vestra coram Hominibus, ut videant opera Vestra bona. Singuli autē videntes in Filios Lucis transformentur. Si enim Nos essemus boni Sacerdotes, tota Plebs sequeretur & esset bona! si Nos essemus boni Ecclesiastici, totus Mundus audiret & obediret Nobis! si nos probi essemus Christiani, pauci essent gentiles, qui non converterentur & non agnoscerent Christum. Nunc autē non sinè pressura cordis totū ferè Orbem Christianū intuentes scatere vitiis, & raró ab iis purificari, scrutemini quis in culpa, Ego palam dico, quod sentio; Jlli, qui non satisfaciunt Vocationi suæ; Jlli, qui pro vera luce emittunt Caliginem, & inficiunt àërem fætente scandalorū fumo: Jlli, de quibus Maximus Ecclesiæ Pontifex & Doctor Gregorius ait: *Nullum puto ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus, tolerat DEUS, quando Eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit.* Proinde quanta possum affectûs & vocis meæ Pastoralis obtestatione; obsecro Vos Charissimi per viscera Misericordiæ DEI Nostri, ut semper videatis,


diligenter custodiatis Vocationem Vestram, & conformiter ad illam ambuletis immaculati in via, non respicientes retro, quoniam Judicio Christi Domini, *mittens manum suã ad aratrum, & respiciens retro, non est aptus Regno DEI.*

Conemur omnibus viribus, ut per bona opera adimplentes Vocationem Nostram mereamur æternam Electionem, Justificationem, & glorificationem à DEO Patre Omnipotente. Nemo ex isto Sacro Congressu favente Divinissimi Spiritûs Paracleti Gratia congregato abscedat, nisi in moribus melior, DEO Hominibusq; gratior, Ecclesiæ suæ utilior, in pascendo Grege Christi vigilantior. Hoc enim fine modernam Convocavimus Synodum, ut concurrentibus ad reformationem Statûs Nostri Sacris Legibus, *Qui Iustus est justificetur adhuc, & qui Sanctus est Sanctificetur adhuc.* Eoq; modo in omnibus & per omnia, sed præcipuè per istam Synodum Nostram, LAUDETUR JESUS CHRISTUS DOMINUS Noster in sæcula sæculorum.

Apocalyp: 22.

COmpleto Sermone Jllustrissimi Domini Loci Ordinarii, publicata sunt Decreta præliminaria inchoatæ Synodi: de modo vivendi, de præjudicio, de Oratione &c. Lectaq; Tabella Disciplinæ Clericalis, promulgati sunt Officiales Synodales, aliaq; præmittenda præmissa, quæ hic brevitatis causa omittuntur.

ACTUS



ACTUS CELEBRATÆ SYNODI.

IN Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Synodus Diœceſana Vilnenſis, Anno Domini MDCCXLIV. Indictione Romana VII. Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri D. BENEDICTI, Divinâ Providentiâ Papæ Anno IV. pro Die decima Menſis Februarii, quæ erat feria ſecunda poſt Dominicam ſexageſimæ, Vilnæ in Eccleſia Cathedrali legitimè congregata, & ad diem duodecimam ejusdem


Menſis canonicè continuata, præſidente Jlluſtriſſimo, Excellentiſſimo ac Reverẽdiſſimo Domino MICHAELE JOANNE ZIENKOWICZ Epiſcopo Vilnenſi Loci Ordinario; præſentibus autem Jlluſtriſſimis, Perilluſtribus, Reverendiſſimis, Jlluſtribus & Admodum Reverendis Dominis JOSEPHO Comite SAPIEHA Epiſcopo Diocæſarienſi, Suffraganeo, Coadjutore, Præpoſito primoq; Prælato Cathedrali; BOGUSLAO CORVINO GOSIEWSKI Epiſcopo Smolenſcenſi, Suffraganeo Albæ Ruſſiæ, Decano; ALEXANDRO HORAIN Epiſcopo Hirenenſi Suffrag: Samogitien: Archidiacono; ANTONIO ZOŁKOWSKI S. Th: & J. U. Doctore, Cuſtode, Vicario in Spiritualibus & Officiali Generali; JOSEPHO de Kożielſk PUZYNA Epiſcopo Livonienſi Scholaſtico; Joanne Bychowiec Cantore Prælatis Cathedralibus. Jacobo Szczuka Se-

niore,

niore, Andrea Wołodkowicz, Dominico Przecławſki, Antonio Woyna ſupremo Secretario M. D. Litv: Joanne Łopaćińſki, Carolo Karp J. U. Doctore, Alexandro Pukien, Thoma Zienkowicz S. Th. & J. U. Doctore, Adamo Kołłątay S. Th: Doctore, Michàéle Wołłowicz, Samuele Rodkiewicz S. Th. Doctore, Canonicis Cathedralibus Vilnenſibus. Staniſlao Broniſz Cancellario Diœceſano, Reverendiſſimis Joanne Jakielſki Ord: S. Benedicti Abbate Trocenſi, Michàéle Antoniewicz Ord: Can: Reg: BB: MM: de Pænit: Præpoſito Infulato Widzeniſcenſi. Franciſco Polkowſki Regente Seminarii Diœceſani, Synodi Promotore, Victorino Al: Hryncewicz Can: Livon: Auditore Cauſarum Cur: ſuæ Jlluſtriſſimæ Celſit: Secretario Synodali, Thoma Szymak S. Th: & J. U. Doct: Can: Smol: Proth: Apoſt:

 Offic:

Offic: Conſiſt: Gen: Vil: & Synodi præſentis Notario, Joſepho Donatt Cancel: Smol: Cæremoniario; & aliis quàm plurimis tam ſæcularibus, quàm Regularibus curam Animarum habentibus, Prælatis, Canonicis, Decanis, Præpoſitis, Parochialiumq́; Eccleſiarum Rectoribus, Commendariis, ac Vicariis. Profeſſione Fidei, præeunte ſua Jlluſtriſſima Celſitudine, ſolenniter ab Omnibus emiſſa, Conſtitutiones ſancitæ ſunt ſequentes.





CONSTITUTIONES SYNODI DIOECESANÆ VILNENSIS.

CAPUT I.
De Fide & Doctrina Christiana.



Sicut totius Ecclesiæ Catholicæ, ita & præsentis Synodi fundamentum esse profitemur veram illam Fidem, quam ab Ipso Christo Domino, deinde ab Apostolis Ejus & SS. Patribus accepimus, quam semper tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia. Ideo ante omnia ad eandem Fidem dilatandam & magis propagandam, unanimi totius Synodalis Cætûs Assensu statuimus, & sub gravi Conscientiæ onere, præter

alia

alia præcepta Conciliorum, vigore Constitutionis Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI PAPÆ XIV. Anno 1742. Die 1. Februarii emanatæ, obligamus omnes cujuscunq; status & instituti in Dioecesi Nostra Curam animarum habentes; quatenus singulis diebus Dominicis post matutinum ante Sacrum cantatum, vel ante Vesperas (ubi Populus congregari solet) in Ecclesiis suis Catechismum habeant, Rudimenta Fidei sigillatim explicando, & eorum aliqua necessitate medii, aliqua verò necessitate præcepti Fidelibus ad credendum, maximè Pueris, & rudioribus Parochianis suis proponant, diligenter & svaviter instruant, ut qui Christiani sunt, Christum noscant & colant; docentes etiam viam salutis, nempe observantiam præceptorum DEI & Ecclesiæ, tum virtutes, quas amplecti, tum vitia, quæ studiosè declinare debeant; in fine deniq, Catechismi vel Contionis, ut melius tempus postulaverit, dicent cum Populo Preces vernaculâ lingvâ, scilicet: *Pater noster: Ave MARIA: Credo.* Aliosq; Actus Fidei, Contritionis, Timoris DEI, iam antea præscriptos & dici solitos: Quapropter neminem ad Sacramentum Pænitentiæ, & ad contrahendum Matrimonium admittant, nisi optimè calentem preces, Præcepta Decalogi, & Rudimenta Fidei.

CAPUT II.
De Hæreticis.

HÆretica pravitas, utpote pestifera Ecclesiæ & Regnorum lues, quàm sit vitanda & detestanda, satis constat ex antiquissimis Juribus, Conciliis, præsertim SS. Tridentina Synodo, ac summorum Pontificum Decretis, nihilominus quia sensim intrusa per aliqua cum Vicinis pacta hucúsq;

hucusq; toleratur in Regno, Provinciis, & hac Diœcesi Nostra: Proinde ne talis tolerantia aliquod Sacrosanctæ Catholicæ Fidei afferat periculum atq; detrimentum, summopere attendant Jllustres Decani, Locorum Curati, aliiq; ad quos de iure invigilare pertinet, quatenus Hæretici cujuscunq; sectæ sua Fana reparare, Pueros vel Puellas Catholicorum instruere, Eorundem Infantibus baptizandis Patrinos agere non præsumant. Prædicantii eorundem Acatholicorum, quasi lupi rapaces in vestimentis Ovium, uniformi cum Clero Orthodoxo habitu non utantur; Constituimus propterea Innovantes Statuta Synodalia Prædecessorum Nostrorum p. m. Alexandri Sapieha & Alexandri Kotowicz, ut ad distinctionem à Clero Catholico vestes breviores, quales in Prussia deferunt, & Collaria in duplo longiora habeant, sub pæna in iisdem Synodis præscripta, detractione videlicet talis habitûs sibi non competentis. Matrimonia similiter Catholici cum Fæminis hæreticis contrahentes, vel è contra, stante prædicta tolerabilitate ob spem futuræ conversionis permissa, ne cum pactis, in hæresi alterutrius Parentis educanda prole permittantur, quæ quidem pacta, appromissiones & condictamina, quamvis Juramento firmata, uti impia, & Juri Divino contraria, ipso jure sunt nulla & irrita, ita etiam nunc pro tunc, & è contra, impia, irrita & nulla fuisse, & esse declaramus.

CAPUT III.
De Judæis.

IRrepsit abominabilis abusus in quibusdam locis Diœcesis Nostræ, quòd Christiani Gens Sancta, Populus electus cum perfida, invida Christianis plenaq; superstitionibus Judai-

ca gente communicare consvevit, & quod maximè dolendum, notabiliores quædam Personæ in damnum & præjudicium orthodoxæ Fidei infideles Judæos Teloniis præficere, non tantùm Tabernas, sed etiam notabilia Bona sua eisdem arendare, aut administrationi eorum committere, aliisq; favoribus ac amicitiæ signis prosequi cum summo dedecore Dignitatis suæ non verentur; Quibus scandalizatæ miserabiles personæ, Familiæ Christianæ eidem perfidæ genti famulari audent. Quocirca Authoritate præsentis Synodi sub indignatione Omnipotentis DEI, & pæna Anathematis Interdicimus, ne cujuscunq; dignitatis ac præeminentiæ temporales Domini præsumant quocunq; titulo vel prætextu Christianos servituti infidelium Judæorum subjicere; Inhibemus pariter omnibus Christi Fidelibus, ne cum hac exosa gente epulari, comedere, vel bibere, aut etiam cum Ipsis in nuptiis, vel neomeniis saltare, in una eademq; domo habitare, circa Tumulos eorum manere, & custodiam agere, in superstitiosis Festivitatibus candelas eorum accendere, vel lychnos emungere, Ipsorum Azyma comedere, Illis obstetricari, vel Judæas ad obstetricandum assumere, aut quovis modo eis inservire, præsertim mulieres innuptæ & iuniores audeant sub pæna captivationis, tam Judæi conducentis, quàm Christiani conducti. Cadavera sua publicè & de die sepelire seriò vetamus Judæis, nisi post occasum solis etiam in æstate.

CAPUT IV.

De Sagis seu maleficis.

CUm nostris etiam temporibus contingat practicari accusatas de maleficiis Fæminas aut Viros, frequenter ex levi con-

conjectura per supernatationem in Aquis contra manifesta Jura tam Canonica, quàm Civilia probari, Illasq; à Personis sæcularibus non tantùm Legum statutorum, verùm & Literarum ignaris judicari sinè ullo nostro, aut Officii Nostri scitu, imò Parochis quoq; inconsultis: Prohibendo itaq; rigorosiùs, nimirum sub pæna Excommunicationis hanc nimis præjudiciosam Proximis, plerumq; innocentibus injuriosam praxim, & nulliter usurpatam Jurisdictionem, obligamus in Conscientia omnes tum sæculares, tum Spirituales Personas Curam Animarum habentes, ut postquam viderint vel audiverint quoscunq; veneficii insimulatos esse captos, statim Instigatores aut Judices præsertim rudes virtute præsentis Statuti moneant; ne ad suprascriptam probationem sinè examine Parochi, aut alterius Personæ spiritualis, â Nobis designandæ, multominus ad iudicium illarum se ingerant. Contra contemnentes verò monitionem Jllorum, quantocyus citationes cum inhibitione exportent ab Officio nostro, ad quod vigore SS. Canonum & Constit: Regni signanter Anno 1543. tales causæ primariò pertinent.

CAPUT V.
De Festis diebus & Vigiliis.

OCcurrendo frequenti violationi Festorum, & prospiciendo indemnitati Agricolarum, qui in hisce Septemtrionalibus partibus nostris, ob frequentes Imbrium inundationes, difficillimè agraria opera sua exercere & Festa observare possunt, impedientibus nimirum etiam frequentioribus Festivitatibus tempore messis, mensibus, videlicet Julio, Augusto, & Septembri: propterea Insistentes anteactis Synodis

Provincialibus, ſpecialiter Anno 1634. obtinuimus â S. Sede Apoſtolica ſpeciales Gratias in literis Romæ datis Anno Dñi 1743. die 7. Maji in Forma Brevis, Tranſlationem prædictis Menſibus incidentiũ Feſtorũ in dies Dominicos, quos SSmi Dñi Noſtri Favores in majus commodũ & levamen Patrumfamilias impertitos, etiã per Edictũ Noſtrũ, eodẽ ſupra expreſſo Anno emanatum, per Diœceſim publicari fecimus in tenore ſequenti :

BENEDICTUS PP. XIV. *Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Solicitam eſſe Fraternitatem Tuam de commiſſi Gregis ſalute, & novimus ex Tuis ad Apoſtolicam Sedem Literis, & ornatiſſimis verbis plurimùm laudavimus. Æquè verò ad opem Ei ferendam, Te invitante, accurrimus, ſupremo miniſterio Noſtro promptè amantiſſimèq; obſequuti. Igitur cum renuntiaveris, Ruſticos Tuæ Diœceſis per Tres Julii, Auguſti, & Septembris Menſes vehementer incommodari obſervandis diebus Feſtis, quippe quibus ab opere tunc vacantibus, reliquum non ſufficiat tempus, pluviis quoq; frequenter impeditum, ad colligendos Terræ Fructus, agroſq; in ſpem futuræ meſſis præparandos; huic Eorum incommodo mederi cupientes, modò, & quoad aliter à Pontifice maximo proviſum fuerit, libenter amplectimur remedium abs Te propoſitum, ſcilicet ut per Tres antedictos Menſes liceat Ipſis ad ſua exercenda ruſticana opera incumbere, tranſlato in primam Julii Dominicam Feſto Viſitationis Sanctiſſimæ DEI Genitricis, in ſecundam ejusdem Menſis Dominicam Feſto Sanctæ Mariæ Magdalenæ, in Tertiam Feſtum S. Jacobi, in Quartam Feſtum S. Annæ. In Auguſto & Septembri, quæ occurrunt Sanctorum Feſtivitates, una quælibet in proxima ſibi Dominica celebretur, unâ exceptâ Deiparæ in Cælum Aſſumptæ, quæ in ſuo proprio recurrente die, Solenni cultu agi debeat. Volumus autem ut in Choro, Diviniſq; Officiis nihil innovetur, nec à priſtino Ritu diſcedatur, ſed ea peragantur in aſſignatis iam pridem diebus. Ii verò, quibus hoc Paternæ facilitatis*

litatis Nostræ beneficio utendum est, studeant interno ardentiori animorum obsequio compensare, quidquid externæ celebritatis Ipsis imminuere necesse fuit. Quod Fraternitatem Tuam strenuè curaturam confidimus, haud ignari, quæ tua sit Episcopalis vigilantia, in tuumq; Gregem eximius amor. Hoc autem eximio proposito abs Te suscepto, ut quotidie magis excellas, Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Maji MDCCXLIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio. Quia tamen (ut delatum habemus) multi putant se protunc ad serviles labores compelli, nec non à Devotione & cultu Sanctorum aliisq; piis operibus omnino arceri; Idcirco consulendo conscientiæ ac commoditati cunctorum Christi Fidelium, Authoritate præsentis Synodi supradictarum Gratiarum, seu Indulti Apostolici usum omnibus Colonis licitum esse declaramus. Cæteri verò pro beneplacito suo, utpote liberiores ab operibus servilibus, vel quos minùs æstus laborum gravat, pro suo erga Sanctos DEI affectu diebus earundem Festivitatum adeant Ecclesias pro lucrandis Indulgentiis, iisdem Festis annexis (ubi habentur) ac pro sua devotione pias ad DEUM fundere preces, Sanctorumq́ Cultui vacare & præcepto de audienda Missa satisfacere, Vigilias (prout antea) jejunare. In quem finem Rectores Ecclesiarum diligenter attendant, ut prædictis diebus Ecclesiæ non sileant, & Sacrosancta Missarum Sacrificia decantentur, conformiter ad Divina Officia ex suis locis non transferenda.

CAPUT VI.

De Sacramento Baptismi.

CIrca Administrationem Baptismi omnino servanda præcipimus,

pimus, quæ in fundamento SS. Canon. præscripta sunt in Epistola Pastorali & Synodalibus Constitutionibus p. m. Jllustrissimi Brzostowski Antecessoris Nostri, præcipuè ne Infantes in ædibus privatis solenniter baptizentur extra casum necessitatis; qualis esse potest magnum frigus hyemale, & distantia loci ab Ecclesia Parochiali, uti in partibus Russiæ aliquot milliarium, item periculosæ debilitatis Infantis, qua contingente cum sola aqua & forma ritè prolata conferatur hoc Sacramentum. Reliquis Ritibus & Ceremoniis reservatis post convalescentiam infantis, in Ecclesia supplendis, & in tali casu promptos se exhibeant omnes, sive Curati, sive simplices Presbyteri, sed protunc Olea Sacra nullus secum deferat, sub pæna suspensionis ab exercitio suorum Ordinum; ut etiam ob importunas persvasiones in profana Domo solenniter baptizare nequeat. Sæcularibus solemnem Baptismi Administrationem in ædibus suis sinè prætacta necessitate extorquentibus, aut alios sive Regulares, sive sæculares Sacerdotes, non proprios Parochos ad hoc munus adhibentibus, sub pæna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ per tres Menses talem ausum Inhibemus.

PRo Administratione Baptismi, sicut & cæterorum Sacramentorum nihil penitùs exigatur, nisi gratis oblatum. S. Chrisma & Oleum Catechumenorum ne alicui præterquam Parochialibus Ecclesiis extradatur. Plures quoq́, prohibitiones in præmemorata Synodo factas Reassumimus & Confirmamus.

CAPUT VII.

De Sacramento Pænitentiæ.

QUandoquidem Sacramentum istud, tanquam secunda post naufragium Tabula, in Remediũ Generis Humani â Christo Dominò

Domino institutum est; ideo diligenter omnes Curam Animarum agentes invigilent, & unicè intendant, ne aliquis ex Parochianis suis, præsertim infirmis sinè illo ex hac luce decedat. Nulloq; prætextu suam Curam differant, donec infirmus destituatur sensibus, sed habitâ primâ notitiâ mox accurrant, & ægros ad perceptionem Sacramentorum tam Pænitentiæ, quâm extremæ Unctionis svavibus persvasionibus inducant. Equum aut currum sibi mittendum ab Infirmo non prætendant; sub pæna suspensionis à Divinis ipso facto incurrenda, quâ omnes tam odiosum & scandalosum abusum inducentes & exigentes vigore præsentis Synodi Innodamus. Approbationem & Facultatem ad excipiendas Confessiones quilibet sive Beneficiatus, sive simplex Confessarius tempestivè obtinere curet, & pro examine ad exercendum hoc munus requisito ita paratus existat, ut quotiescunq; à Nobis vel ab Officio Nostro vocabitur, præstò sit sub amissione talis gratiæ. Cætera circa Administrationem suprascriptorum Sacramentorum sancita, in Epistola & Synodo Brzostoviana legenda ac practicanda, universis & singulis Inculcamus.

CAPUT VIII.
De Sacramento Matrimonii.

PRo manutenenda circa Sacramentum Matrimonii dispositione S. Concilii Tridentini, & recentissimæ Constit: SSmi Dñi Nostri BENEDICTI PAPÆ XIV. Quæ incipit: *Nimiam Licentiam*, sub Anno 1743. die 18. Maji emanatæ, statuimus indispensabiliter ab omnibus servanda sequentia Puncta.

1*mo*. Denuntiationes ante Matrimonium non omittantur, nec dispensentur, nisi ex gravissima causa. Et ideo Parochi

chi quatuor ſeptimanis ante Adventum Domini in Feſto OO. Sanctorum: Et ante Quadrageſimam quatuor ſeptimanis Dominicâ ultimâ poſt Epiphaniam obdeſtinent Populum, quòd ex ſola ratione imminentis Adventûs aut Quadrageſimæ ullatenus non aſſiſtent Matrimonio, niſi deſponſandi tempeſtivè curent publicari denuntiationes tribus diebus Feſtivis aut Dominicis. Qui autem ex Parochis, ſive Commendariis, vel unica denuntiatione omiſſa audebunt benedicere Matrimonium, exnunc Decanus illius Parochiæ transgreſſorem toties roboratæ Legis mulctabit perſolvendis 20. florenis, quos exactos remittet ad Collegium Diœceſanum, & ſi Ipſe negligens in hoc fuerit, duplum perſolvet, & aliis pœnis arbitrariis ſubjacebit.

2do. Vigore ejusdem Pontificiæ Conſtit: præcipimus omnibus & ſingulis Parochis, aut Eorum vices gerentibus, quatenus immediatè ante denuntiationes Matrimonii examinent tum Sponſum tum Sponſam ſeorſivè, cautè, & ſecretò? an ex voluntate ſua, ſpontè, ac libenter, & cum vero animi conſenſu Matrimonium inire intendant? an non intercedat inter Eos aliquod impedimentum Conſangvinitatis, affinitatis, &c. An Sponſus vel Sponſa non dedit fidem, & non promiſit alteri ſuam amicitiam? an Filius vel Filia de conſenſu Parentum ſuorum vult contrahere Matrimonium.

3tio. Ne quispiam ex Diœceſanis Noſtris divortium Matrimonii ex levi occaſione attentare præſumat, occurrendo pravis intentionibus, Defenſorem Matrimonii, nempe A. R. D. Franciſcum Polkowſki Regentem Seminarii Noſtri, vitæ probitate, & ſufficienti doctrina præditum, ex mandato prælibati Beatiſſimi Patris Noſtri Benedicti XIV. in Conſtitutione Ejus, Incipiente DEI miſeratione ſub Anno 1741. die 3. Menſis Novembris edita, expreſſo, poſt publicationem illius mox à Nobis conſtitutum, etiam Authoritate præſentis Synodi approbamus cum admonitione, ut muneri ſuo in prædicta Conſtitutione impoſito diligenter ſatisfaciat.

4to.

410. De Personis certum Domicilium non habentibus, & frequenter locum, aut servitia sua mutantibus ubicunq; præsertim tamen Vilnæ, Grodnæ, Novogrodeci, Minsci, nec non in aliis majoribus Civitatibus, Matrimonium contrahere volentibus, Reassumimꝯ Decretū S.Concil: Trident. Sess. 24. Cap: 7. de Reform: positum, illudq; Sacrosanctè observandum, præcipuè quò ad strictum examen & inquisitionem de statu talium Personarum præmittenda, & Nobis aut Officio Nostro communicanda seriò mandamus. Insuper ad evitanda plura incommoda circa Contractus Matrimoniales, publicationem Decreti ejusdem Concil: eadem Sess: Cap: 1. lati, supra expressis temporibus, nimirum quatuor septimanis ante Adventum, & quatuor septimanis ante Quadragesimam, injungimus in tenore sequenti.

ACzkolwiek nietrzeba wątpić, że potajemne małżeństwa wolnym zezwoleniem zawierających Kontrakt Małżeńskiey przyjaźni uczynione, są ważne y prawdźiwe dotąd, poki ich Kośćioł nieważnemi nieuczynił; przetoż słusznie nagany y potępienia godni są takowi, iakoż ich Kośćioł Swięty przeklęctwem potępia, ktorzy takowe małżeństwa prawdźiwemi być y ważnemi nieprzyznawają, y ktorzy fałszywie udają, y dowodzą, iż małżeństwa miedzy Synami pod władzą Rodźicow zostającemi, bez dozwolenia Rodźicow zawarte, nieważne są, y że Rodźice takowe małżeństwa mogą ważnemi albo nieważnemi uczynić : iednakże Swięty Boży Kośćioł z słusznych barzo przyczyn, zawszesię takiemi małżeństwy brzydźił, onych zakazował, y niedopuszczał. Ale gdy Swięty Synod Koncylium Trydentskiego upatrzył y postrzegł, że zakazowania y niedopuszczania takowe u Ludźi dla ich nieposłuszeństwa nic nie pomagają, á ćięszkie grzechy z tákowych małżeństw potajemnych pochodzą, á zwłaszcza tych, ktorzy w stanie potępienia zostają, gdy pierwszą Zonę, z kto-

rą potajemnie ślub małżeński zawarli, opuściwszy, z inszą iawnie małżeństwo zawieraią, y z nią w ustawicznym cudzołostwie żyją, ktoremu złemu gdy Kościoł S. ktory tajemnych rzeczy nie sądźi, zabieżeć nie może, ażby iakiego skutecznieyszego lekarstwa albo pomocy ná to zażył: Dla czego, Swiętego Laterańskiego Koncylium za Innocencyusza Trzećiego Papieża odprawionego, idąc torem przykazuje, áby ná potym przed záwarćiem Małżeństwa y ślubem onego, trzy razy od własnego Plebana, przez trzy dni Swięte, y Uroczyste nierozdźielnie po sobie idące, w Kośćiele podczas Mszy wielkiey publicznie byli opowiedźieni takowi, między ktoremi ma być małżeństwo záwarte; ktore to zapowiedźi odprawiwszy, jeżeli żadney słuszney kto nie zarzući przeszkody, do dania y wźięćia ślubu w Kośćiele jawnie przystąpić mają, gdźie Pleban nowych Małżonkow spytawszy, y ich zobopolne á dobrowolne zezwolenie dobrze zrozumiawszy, albo niech rzecze: Ja was w Małżeństwo złączam w Imie Oyca, y Syna, y Ducha Swiętego, álbo niech inszych zażyje słow, według przyjętego y zwyczaynego, każdey z osobna Prowincyi obrzędu. A ieżeliby kiedy było dowodne dorozumienie, żeby mogła urość do małżeństwa słusznego złośliwa jaka zkąd przeszkoda, gdyby tak wiele uprzedźiło zapowiedźi, na ten czas choćiaż iedna tylko niech będźie zápowiedź, albo przynamniey przy bytnośći Plebana własnego, y dwoch albo trzech Swiadkow, ślub małżeński niech będźie odprawiony, á potym przed dokonaniem małżeństwa niech będą zápowiedźi w Kośćiele zwyczayne, áby iákiekolwiek záchodzące przeszkody tym łatwiey mogły być objawione: chybaby Biskupowi tamecznego mieysca pożyteczno się być zdało przerzeczone zápowiedźi opuśćić, co tego rostropnośći y baczeniu Swięty Synod zostawuje. A ktorzy inaczey á nie przy bytnośći Plebana własnego, ábo inszego Kapłana, zá pozwoleniem Plebana tegoż, ábo iego Biskupa, y dwoch abo trzech Swiadkow w Małżeństwo wstępować się będą ważyli, takowych S. Synod do záwarćia takim sposobem

ſobem małżeńſtwa koniecznie nieſpoſobnymi czyni: y takowe małżeńſkie zawarćia, abo Kontrakty za nie ważne, y żadnego waloru nie maiące dekretuie y ſkazuie, jakoż je ninieyſzym Dekretem nie ważnemi czyni y wniwecz obraca. Nadto Plebana, abo inſzego Kapłana, ktoryby z mnieyſzą Swiadkow liczbą, y Swiadkow także, ktorzyby bez Plebana albo Kapłana takowemu małżeńſtwa zawarćiu przytomnymi byli, tudźieſz y Samych zawieraiących małżeńſtwo, pod ćięſzkie karanie Biſkupie, według woli y zdania Jego podaie, y karać roſkazuie. Napomina też tenże Synod S. aby Małżonkowie nowi przed wźięćiem w Kośćiele Błogoſławieńſtwa Kapłańſkiego, w jednym domu niemieſzkali, y poſtanawia, że to Błogoſławieńſtwo ma być dawane od właſnego Plebana, y niemoże żaden inſzy oprocz właſnego Plebana, abo Biſkupa Iego na danie takowego Błogoſławieńſtwa, inſzemu Kapłanowi pozwolenia dać, choćiażby był jaki inſzy zwyczay by też niepamiętny (ktory raczey ſkazą abo zepſowaniem ma być zwany) abo Przywiley na to dany. A ieżeliby ktory Pleban abo inſzy lubo Zakonny lubo świecki Kapłan, choćiażby ſobie wolność na to z Przywileju, abo niepamiętnego zwyczaju przypiſował, inſzey Parafii Oblubieńcow, bez ich Plebana pozwolenia w małżeńſtwo złączyć, abo im Błogoſławieńſtwo dać śię ważył, ſamym Prawem tak długo w karaniu ſuſpenſyi ma zoſtawać (to jeſt ani Mſzy S. odprawować, ani Kazania mieć, ani Sakramentow Swiętych nie adminiſtrować) poki od Biſkupa tego Plebana, ktory miał y powinien był Małżeńſtwo to złączać, abo od ktorego brać mieli Błogoſławieńſtwo, nie będźie abſolwowany y uwolniony. Nakoniec S. Synod Małżonkow napomina, aby przedtym niżeli poydą do Slubu Małżeńſkiego zawierania, abo przynamniey trzema dniami przed małżeńſtwa dokonaniem, ſwoich ſię grzechow pilnie wyſpowiadali, y do przyięćia Nayświętſzego Ciała y Krwi JEZUSOWEY Sakramentu nabożnie przyſtąpili. Ażeby te tak zbawienne przykazania do każdego Wiernych Chryſtuſo-

ſtuſowych wiadomości przyſzły, Biſkupom wſzyſtkim tenże S. Synod przykazuje, áby iak nayprędzey mogą, ſtarali ſię, żeby ten Dekret Ludźiom był publikowany, y tłumaczony w Dyecezyach każdych po farnych Kośćiołach iáko nayczęśćiey, y iák wiele razy tego potrzebę widźieć będą.

JMpedimenta Matrimonii cum plenè ſint expreſſa in Synodo Brzoſtoviana part: III. Cap: XXVI. ad eam legendam & manutenendam Remittimus.

CAPUT IX.

De Exorciſmis.

OCcurrendo temerariis præſumptionibus quorundam Presbyterorum tam ſæcularium, quàm Regularium, præter præſcriptos ab Eccleſia Ritus, obſeſſos aut infirmos exorcizantium, qui balnea ſeu lavabra, & alios inſolitos modos ad Exorciſmos adhibere audent, quod cum imprimis ſit contra honeſtatem Clericalem, deinde experimento compertum eſt, in iſtis lavabris, plerumque ſuffocari energumenos vel infirmos; jure merito tam licentioſos Exorciſtas iam per Anteceſſores Noſtros Synodaliter monitos, & inhibitos, præter Irregularitatem, quam ſequuto tragico eventu contrahunt, captivandos à Decanis, & carceri in Palatio Noſtro Vilnenſi mancipandos hac Noſtra Synodali Conſtitutione Decernimus.

CAPUT X.

De Divinis Officiis.

NOn poſſumus ſinè Animi Noſtri amaritudine tolerare, & ſilentio prætermittere, quòd plures Eccleſiæ Parochiales negligentiâ Parochorũ, ſive Commendariorum

Feſtis

Feſtis diebus ſilent per omiſſionem Veſperarum, Matutinorum, & Miſſarum cum Cantu ſaltem chorali abſolvendarum, contra præſcriptum Ordinem & præceptum Synodale p. m. Jlluſtriſſimi Brzoſtowſki Prædeceſſoris Noſtri Parte III. Cap: V. quod intuitu majoris Divinæ Gloriæ etiam modernâ Synodo innovando, & majus robur impertiendo, inviolabiliter ſervandum, & in omnimoda executione habendum eſſe Jubemus, ut deſignato ibidem tempore & modo in omnibus Eccleſiis Jurisdictioni Noſtræ ſubjectis Divina Officia peragantur, ſub pænis contra negligentes Arbitrio Noſtro vel Officii Noſtri ab primam Decanorum ſub nexu Conſcientiæ delationem extendendis.

CAPUT XI.

De Vita & Honeſtate Clericorũ.

NIhil eſt, quod alios ad pietatem & Cultum DEI magis inſtruat, quàm Eorum vita & exemplum, qui ſe Divino Miniſterio dedicârunt, juxta definitionem S. Concil: Trident: ſeſs: 22. Cap: 1. de Reform: Qua propter neceſſe eſt omnino quosq; Clericos in ſortem Dñi vocatos, ſic vitam moresq; ſuos componere, ut habitu, geſtu, ſermone, converſatione, aliisq; actionibus, nihil aliud niſi probum, moderatum, ac Religione plenum præſeferant. Scandala etiam levia non tantùm graviora præbere caveant, ne præter ſuam culpam, etiam commiſſarum ſibi Ovium perditionis ſint rei. Nuptias & alia convivia, compotationes cum Sæcularibus (præſertim ubi plures & variæ Fæminæ adeſſe ſolent) choreaſq; ducere, tanquam proximam peccandi occaſionem devitent. A Negotiationibus turpis lucri gratiâ, ac omni avaritiæ quæſtu, multoties per SS. Canones interdicto, ſummopere abſtineant. A-

pud Dominos sæculares Commissariorum, Procuratorũ Officiũ non suscipiant. Cætera statum & dignitatem Sacerdotalem concernentia, in Epistola Pastorali Brzostoviana collecta, Authoritate præsentis Synodi Reintimamus. Deniq; cunctum Clerum, Jurisdictioni Nostræ subjectũ, per viscera Misericordiæ DEI Nostri obsecramus & obligamus, *ne sint parvuli fluctuantes, sed firmi in via Domini & in veritate sensûs sui, sint sinè macula voluntatem habentes in Lege Domini, Sancti & Immaculati in Conspectu Ejus.* Sint in Cogitationibus innoxii, in operibus laudabiles, sint Exemplum Fidelium verbo, conversatione & Charitate, Fide & Castitate, ut sit eis Dignitas Sacerdotii in æternum.

CAPUT XII.

De Residentia, & honesta Parochorum & aliorum Sacerdotum habitatione.

Brevitati Actorum Synodalium consulendo, non allegamus hic Jura, & Præcepta Ecclesiastica, quibus Parochi non in Prædiis ab Ecclesia distantibus, sed in domibus Plebanalibus penes Ecclesiam continuò residere sunt adstricti, sed illa in Synodis Antecessorum Nostrorum luculenter expressa Reassumimus, & adimplenda Mandamus, ne in absentia Eorum, aut Infantes neonatos sinè Baptismo, aut Infirmos sinè pænitentiæ & extremæ unctionis Sacramentis decedere contingat. In eadem Domo cum familia, præsertim diversi sexûs cohabitare, & confidenter conversari non audeant, sub pæna decem aureorum hungaricalium, Collegio Diœcesano applicandorum, & ipsorum in eodem Collegio detentione per totum Mensem; propterea Decanis sub simili pæna injungimus, ut si apud ali-

quem

quem ex Parochis, Commendariis, Vicariis aut Altariſtis fæminas juniores animadverterint, ex illisq; ſuſpicionem & ſcandalum in Populo oriri, ac murmur audiri intellexerint, mox illas etiam Conſangvineas amovendas curent.

Contumaces autem poſt unam & alteram monitionem, ultra decem dies non prorogandam, ad Nos aut Officium Noſtrũ deferant.

CAPUT XIII.

De Archivis & Cancellario Diœceſano.

JUſtis Parochorum deſideriis & petitis ſatisfacientes, conſiderantes quoq; Jntentionẽ Fundatoris Cancellariatûs Vilnenſis cum Obligatione aſſiduæ reſidentiæ Cancellarii penes Archivum Diœceſanũ, authoritate præſentis Synodi firmiter Statuimus, ut quilibet Cancellarius ſuo tempore exiſtens continuis ſex menſibus, nimirum: Aprili, Majo, Junio, Julio, Augusto, Septembri, indiſpenſabiliter Vilnæ ſub pœna ſequeſtrationis mediæ partis fructuum reſideat, Originalia Munimenta, Privilegia, Fundationes &c: antecedenter ab aliquo vel à ſe ex Archivo extraditas, in ſpatio trium menſium comportandas ad idem Archivum procuret. Cauſas Eccleſiarum Parochialium, præſertim circa inſcriptionem Earum in Tribunali M. D. Litv: diligenti ſtudio promoveat; ne Parochi Eccleſias deſerere, & à Cura Animarum diu ſe abſentare cogantur. Negligentes aut nolentes comportare Originalia, Eccleſiaſtica Documenta, ad Nos Officiumq; Noſtrum citare faciat. Eidem revocamus in memoriam Juramentum à ſe præſtitum, & adhortamur, ut illud promptâ obedientiâ & fideli cuſtodia Archivorum adimpleat. Aditum nulli concedat ad Archivum; niſi ſe præſente, aut aliqua perſona fidiſſima, quam ſui vice deputabit.

CAPUT

CAPUT XIV.
De Seminario Diœceſano Vilnenſi, Ejusq; Regimine.

CUm tota ferè ſpes Eccleſiæ, & bonorum in Vinea Chriſti Operariorum, ab ordinata Clericorũ in doctrina & pietate Inſtitutione dependeat; propterea Seminarium Noſtrum Vilnenſe cum Divino Auxilio ſufficientibus proventibus proviſum, omni meliori modo & ordine gubernari deſiderantes, ad regendum illud Clericos in communi viventes prævio Conſilio Capituli Noſtri introduximus, Jllisq; totum Regimen plenariè Commiſimus, pro diligenti cura annuas penſiones tam Regenti moderno, videlicet A. R. D. Franciſco Polkowſki, quã Vice-Regenti R. D. Antonio Krauz, Ipſis & Succeſſoribꝰ Illorum Conſtituimus. In ſupplementum victûs & majoris commoditatis Ipſorum & Seminariſtarum Prædium Korkorzyſzki cum Subditis, agris, pratis, & omni proventu Conceſſimus, & in Poſſeſſionem tradi Mandavimus. Ex aliis autem Bonis ad idem Seminarium pertinentibus quatuordecim Clericos pro Diœceſi juratos, ad ulteriorem Noſtram diſpoſitionem & Seminarii reparationem alendos & educandos cum conſilio Proviſorum Ordinavimus. Quam ordinationem & commiſſum à Nobis præfatis Clericis in communi viventibus, pronunc exiſtentibus & extituris, Regimen Seminarii & Seminariſtarum præſenti Synodali Conſtitutione Noſtra Approbamus & Ratificamus. Oneramusq; Conſcientias Rectorum, Vice-Rectorum Seminarii Noſtri, quatenus omni diligentia & ſtudio in ſpiritu & moribus conformiter ad præſcriptum S. Concil: Trident: Seſs: 23. Cap: 18. de Reform: & recentiſſimam Conſtitutionẽ

SSmi

SSmi Domini Noſtri Benedicti XIV. Papæ Anno 1740. die 3. Menſis Decembris editam; ſubjectum ſibi Clerum inſtituant, & exerceant, Indolem, capacitatem & profectum Cujusq; ſubjecti aſſiduò contemplentur. Nullum ad majores Ordines recommendent, niſi completis Studiis; & ſi cui valetudo Studia ſpeculativa non permiſerit diutius tractare, ſaltem in moralibus ſufficienter ad minimum per Biennium ſint inſtructi.

CAPUT XV.
De Ordinandis.

QUamvis antecedentibus Annis ob rationes à Prædeceſſoribus Noſtris iuſtè allegatas, inter alias, ob defectum Cleri, peſtifera lue & hoſtilitate ſublati, & à Nobis donec Seminarium Diœceſanum ſufficientibus providimus ſumptibus, dilata fuit executio Legis de Ordinan: à SS. Concil: Trident: Seſs: 23. Cap: 5. de Reform: præſcriptæ, poſtquam tamen præſenti tempore multiplicavit Dominus Gentem ſtatûs Noſtri: Idcirco virtute modernæ Synodi Innovamus præexpreſſam legem, ut Omnes ad primam Tonſuram & minores Ordines aſpirantes, præter fidem Baptiſmi bonum habeant teſtimonium à Parochis, & Magiſtris Scholarum, in quibus verſati ſunt. Qui verò ad majores Ordines aſſumendi erunt; quatuor ſeptimanis ante generalem Ordinationem ad Subdiaconatum publicè Parochi Eorum deſiderium, ſeu intentionem ex ſuggeſtu in Eccleſiis ſuis populo denuntient, de Ipſorum Natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirant, & Literas teſtimoniales in obſigillato Rotulo talem inquiſitionem continentes ad Nos, vel Examinatores Synodales remittant, ſinè quibus amodo nullus ordinari & ad Seminaria admitti poterit.

CAPUT XVI.

De Provisoribus Ordinandorũ, & Eorum Provisis.

NOn solùm Diœcesana Antecessorum Nostrorum, in particulari p. m. Jllustrissimi Sapieha, & Provinciali Eminentissimi Bernardi Cardinalis Maciejowski Synodo, verùm etiam SS. Concil: Trident: Sess: 23. Cap: 16. de Reform: Decreto cautum est, ut Provisi suos Provisores, & è contra inconsulto Loci Ordinario aut Eius Officio deserere non possint, sed quia partim ex ignorantiâ Juris, partim ex præsumptione contrarium in Diœcesi Nostra practicatur. Proinde innovando citata Decreta firmiter Statuimus, ut abhinc nec Provisi, quamvis post triennium impensi obsequii Ecclesiæ sinè Nostro aut Vicarii Nostri Generalis scitu ab illa alienari, & abscedere sub pæna Suspensionis ab exercitio Ordinum, & detentione per Mensem in Collegio Invalidorum, nec Provisores suos Provisos, nisi post triennium similiter sinè Nostro scitu, & sinê recommendatione de vita & moribus, quam merentur, sub pæna decem Aureorum hungaricalium eidem Collegio applicandorum dimittere audeant. Pro majori autem Ecclesiarum utilitate, & Salutis Animarum securitate, præcisa omni spe dispensationis Statuimus, ut iidem Provisi in Seminario RR. DD. Sacerdotum Congregationis Missionis ad minimum per duodecim Menses etsi discontinuos. In Seminario autem Nostro Diœcesano per duos completos Annos sub stricta disciplina perseverent. Ceremonias Ecclesiasticas, rectam Casuum resolutionẽ, Cantum, potissimè verò praxim Concionandi, & Ca-

& Catechiſandi addiſcant, & nonniſi hac ſcientiâ acquiſitâ, ac Teſtimonio Inſtructorum ſuorum ſub Conſcientia ab Ipſis dando; promoveri ſe ad Ordines non ſperent. Cavemus nihilominus iisdem Proviſis, quatenus Ipſis Proviſores ſufficientem victum provideant, & penſionem ducentorum Florenorũ punctualiter circa exſpirationem Anni exolvant, partem aliquam accidentium Illis cedant. Inſuper ſi quis ex Proviſis poſt biennium ſui obſequii præſentationem Curati, aut ſimplicis pingvioris Beneficii obtinuerit, liberum ſit Ipſi cum ſcitu tamen Noſtro ab Eccleſia proviſionali alienari. In Miſſarum oneribus, Concionibus & aliis muniis Eccleſiaſticis Proviſores ſuos ex juſtitia, ratione ſalarii, diligenter adjuvent, & promptè inſerviant Eccleſiis, ad quas Ordinati ſunt.

CAPUT XVII.

De Clericis & Sacerdotibus, fixũ locũ nō habentibus, aut ex aliena Diœceſi advenientibus.

CLericos ſive Sacerdotes inconſtantes, & locum pro ſuo libitu mutantes, aliàs vagos, ſi ſint Diœceſis Noſtræ, à Decanis captivandos, & ad Collegium Diœceſanum pro incarceratione per duos Menſes, etiam adhibito ſæculari brachio adducendos Decernimus. Si autem ex aliena advenerint Diœceſi non habentes Literas ſuæ Ordinationis; nec alias authenticas veras non fictas Teſtimoniales à Loci Ordinariis, vel Eorum Vicariis, ſtatim Illos, ſive Decani, ſive Parochi propiores Limitum exeſſe ex Noſtra Diœceſi & reverti cogant, nec

unum Ipsis permittant in suis Ecclesiis, aut apud Parochianos celebrare Missæ Sacrificium. Qui autem per suos Decanatus aut Parochias contra præsens Decretum tales Personas vagari permiserint, multò magis ad obsequia Ecclesiarum suarum acceptaverint; quindecim Imperialibus argenteâ monetâ ad Collegium Dioecesanum irremissibiliter per Instigatorem Officii exigendis mulctabuntur. Vagantes verò cujuscunq; statûs aut Ordinis Presbyteros, ipsô factô suspensos â Sacrificiis Missarum Declaramus.

CAPUT XVIII.
De Officio Decanorum.

SUb tempus ante Synodalis Congregationis non sinè admiratione audivimus querelas Jllustrium Decanorum, quòd Jllos Parochialium Ecclesiarum Rectores postponere, & indignè tractare soleant; quam proterviam refragantium condemnando, authoritate Synodali Mandamus, ut omnes Curati Decanos suos, tanquam Vices Nostras obeuntes reverenter suscipiant, fideliter obediant, & sincerè procedant, præsertim in Visitationibus, & Congregationibus, ad quas solitis temporibus sub instantanea exolutione decem Sexagenarum grossorum, Collegio Dioecesano applicandorum, omnes conveniant, modestê se gerant, in negotiis Ecclesiarum suarum prudenter consulant. Jam verò Jllustres Decanos, ex quibus plures hactenus negligentes experti sumus, non tantùm sub onere conscientiæ, verùm & sub privatione Officiorum, aliisq; arbitrariis pœnis Obligamus; quatenus vigiles & operosos se exhibeant, Visitationes prævia obdestinatione Parochianorum, & Congregationes methodô in Synodo Brzostoviana præscriptâ

ptâ inſtituant; Conſtitutiones præſentis Synodi & Decreta Viſitationis ad effectum deducere ſtudeant. Memores etiam ſint Juramenti ſui, quò ad ſingula puncta, ne ſint obnoxii pœnis contra periurioſos ſancitis. Poſt Viſitationem Eccleſiarum & Congregationem Parochorum ſuo tempore peractam, quilibet Decanus pro facienda Nobis, aut Vicario Noſtro Generali relatione de ſtatu Beneficiorum, & maximè de vita Beneficiatorum, totiusq; Cleri in ſuo Decanatu degentis ſemel in Anno compareat.

CAPUT XIX.
De Cenſoribus Librorum.

CUm ex Libris ſive impreſſis, ſive imprimendis, veluti ex fontibus, tum vitia, tum errores contra Fidem non raró promanent, ideo Volumus & Statuimus non niſi magnâ animadverſione & cenſurâ præviâ Jllos imprimi, & in Officinis Librariis Vilnæ reperibilibus conſervari. Ad aſſequendum autem præſentis ſtatuti finem pro recognitione & reviſione qualiumcunq; Librorum Reverendiſſimos ac Perilluſtres ALEXANDRUM HORAIN Suffraganeum Samogitienſem, Archidiaconum Præl: Cath: Vilnenſem, Antonium Joſephum Zołkowſki Cuſtodem Præl: Cath: & Officialem Noſtrum Generalem Vilnenſem. A. R. D. Lucam Tykwiński Præpoſitum Congregationis Miſſionis Domûs Vilnenſis. Jlluſtrem A. R. D. Victorinum Hryncewicz Canon: Livonien: Auditorem Cauſarum Curiæ Noſtræ. R. D. Antonium Krauz J. U. Doctorem, & Civilis Profeſſorem, Vice-Regentem Seminarii Noſtri Vilnenſis. A. R. D. Martinum Dąbrowſki Præpoſitum Hoſpitalis Cathedr: Deſignamus, cum obligatione, ut ultimi duo Cenſores ſaltem

bis in Anno Officinas Librarias revideant, Libros prohibitos aut approbationem non habentes tollant, & pœnarum à S. Concil: Trident: sancitarum in Contravenientes extensionem ac declarationem per Instigatorem Officii Nostri urgeant.

CAPUT XX.

De Jejunio Quadragesimali.

faciliori & meliori earum obſervatione, omnes quocunq; titulo Beneficiati atq; Presbyteri, Comendarii, Vicarii apud ſe illas habeant, legant & addiſcant; idq; ſub pænis irremiſſibiliter extendendis. Deniq; exactam Decreti iſtius prout & aliorum Synodalium Statutorum Noſtrorum executionem, tum DD. Viſitatoribus, Generalibus, tum Decanis Foraneis Committimus, negligentesq; Decanos rigoroſæ animadverſioni obnoxios fore declaramus. Non obſtante, quòd omnia præſentis Synodalis Congreſsûs Acta, Statuta, Decreta ſupremo Sanctiſſimi Domini Noſtri BENEDICTI XIV. Pontificis Maximi, Salvatoris JESU CHRISTI in terris Vicarii arbitrio corrigenda, immutanda, aut ſi ſuæ placuerit Sanctitati approbanda debita cum reverentia ex toto ſubjicimus.

MICHAEL EPISCOPUS

(L.S.)

VICTORINUS ALBERTUS HRYNCEWICZ Can: Liv:
Auditor Cauſarum Curiæ ſuæ Jlluſtriſſimæ Celſitud:
Synodi Secretarius.

SER-

S E R M O

PERILLUSTRIS ac REVERENDISSIMI DOMINI

ANTONII JOSEPH ZOŁKOWSKI S. Th. & Utr. Jur. Doct. Custod. Præl. Cath. Vicarii in Spiritualibus & Officialis Generalis Vilnensis, Nominati Suffraganei albæ Russiæ in Synodo Diœcesana

Anno Domini 1744. *Die* 11. *Februarii habitus.*

Voca Operarios *Math:* 20. *Cap:*

A Multis desideratos annis, hodie Pastorali voce gratioso Archangeli sui classico convocatos, benigno sinu amplectitur vos Mater nostra Alma Ecclesia Cathedralis. *Illustrissimi, Reverendissimi, Perillustres, Illustres, Admodum Reverendi Confratres & Consacerdotes charissimi.*

Non audeo vos modò vocare operarios, multominùs servos mercenarios, nec salutare tanquam hospites & advenas, sed tanquam Domesticos DEI, video enim totius Provinciæ Litvanæ, Matrem

cætu

cætu Filiorum lætantem, & quidem talium Filiorum, quos in dignitate non aliter exiſtimet mundus, niſi *ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores myſteriorum DEI:* in pietate, ut Angelorum comites, & Sanctorum concives; in obedientia, ut illas ſtellas, *quæ vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus, & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas, Baruch. 3. c.* In doctrina non aliter vos audit & reveretur populus, niſi ut diſcipulos Cœleſtis Magiſtri: Potiſſimè ſi titulis ſupradictis correſpondeant mores, ſi tantæ dignitati correſpondeant merita, ſi Pietati perfectio, Obedientiæ ſinceritas, promptitudo, Doctrinæ exemplaritas vitæ; iudicio *Salviani admonentis: Cunctos, qui Sacri Altaris ſuggeſtu eminent, tantùm excellere oportet virtute, quantùm gradu.*

Non derogabo tamen Honori Veſtro, omni æſtimatione digniſſimi Auditores, licèt vocabo, & oſtendam vos eſſe operarios, ſed diurnos, Operarios Cæleſtis Patris-familias: Ad Laudem & Gloriam ejusdem DEI, & Domini Noſtri, cuius perfecta ſunt opera.

Non volenti, neq; currenti, eò magis non ambienti, nec per fas & nefas curanti planè invito collata eſt à ſuprema Majeſtate Divina, inſignis prærogativa Prophetæ Jeremiæ; *Cap. 1 mo. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper Regna, ut evellas & deſtruas,*

destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices & plantes. Num potest dari illustrius diploma? firmius privilegium? major potestas? quàm imperare, dominari gentibus, jus dicere, leges præscribere Regnis? sed non minus periculum, *Quanto quisq; in superiori constitutus est loco: tanto in majori versatur periculo, sensus est Barradii.* Non minus honori Prophetæ annexum est onus; cohortes laborum sequuntur illum, quoniam non satis est evellere, & destruere, non satis est disperdere & dissipare, adhuc ædificare & plantare necesse: *Nunc audito,* clamat Ecclesiastes Vaticanus, *quod actionum genera præcipiat. Rectori tam illustri & dignitati tam speciosæ,* acsi diceret; Constituitur quidem Jeremias super gentes & super Regna, verùm magis ad operandum utraq; manu, quàm ad imperandum; non purpurâ, non diademate exornatur, sed tanquam operario DEI, imponitur illi portandum *pondus diei & æstus.* Oliva.

Simillima est vocationis & Principatûs Nostri occupatio Consacerdotes in Christo charissimi: Constituti enim sive instituti sumus, utpote regali Sacerdotio eminentes super gentes, & Regna, id est super bonos & malos, sive super carnales & spirituales homines, juxta interpretationem *V. Bedæ.* Verumtamen ut muneri nostro satisfaciamus, opus est Nobis

duabus idq́; fortiſſimis manibus; *Unâ* evellente, deſtruente, ac diſſipante vitia, errores, iniquitates; *Alterâ* ædificante,plantante veram Religionem, pietatem, aliasq́; Virtutes Chriſtianas; *ex informatione Barrad: Eſt magnum negotium, quo nullum in hac vita majus & præclarius; vineæ noſtræ, id eſt Animarum cultura & ſalus: omni vigilantia huic culturæ vacandum docet Pater-familias, qui ad colendam Vineam ſummam vigilantiam adhibuit.*

Non abſq́; admiratione & cenſura deſcripſit Salomon duorum ſibi vicinorum incuriam, Prov: 24. c. *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urticæ & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ.* Aſt magis ſtupendum, iuſtiùs dolendum ſuper depravata vita, & Anima Chriſtiana, quàm ſuper deſerta vinea, prout illam delineavit *Cornel. à lap. Non tantùm vacua virtutibus, & fructibus bonorum operum, ſed repleta quoq; urticis, carduis & ſpinis vitiorum omnium, dæmonum, carnis & mundi incurſionibus expoſita.* Cuius igitur hic labor, hoc opus eſt; ut myſtica vinea iſta excoli, expurgari poſſit? Noſtrûm, noſtrûm, Fratres dilectiſſimi, apponenda hic primùm manus evellens urticas iracundiæ, ſuperbiæ; exſtirpans lolia avaritiæ, invidiæ, gulæ, diſſipans ſpinas concupiſcentiæ, libidinis; diſperdens fru-

frutices ſcandalorum: nec ſolùm in proximis curæ noſtræ commiſſis, verùm principaliter in nobis ob rationem à S. Iſidoro Doctore Eccleſiæ allatam: *Primitùs quippe ſeipſum corrigere debet, qui alios ad benevivendum admonere ſtudet.* Deinde adhibenda eſt à Nobis manus ædificans non tam Altaria aut Templa, quàm bona tribuens exempla; ædificans non ſolis verbis & doctrina, *ſed opere, veritate,* juſtitiâ, temperantiâ, ſanctitate, quibus vivi & electi lapides permoti, imò pertracti aſſurgant in ſtructuram DEI, & quævis Anima Chriſtiana appareat *ut ſimilitudo templi.* Ex voto D. Chryſoſtomi aſſerentis: *Si decem de nobis tantùm rectè egerint, brevi viginti, poſtea quinquaginta, boni centum & mille fient, tandem tota Civitas Sancta.*

Eadem dextera noſtra extendenda ad plantandos in cordibus Fidelium uberes palmites Amoris & Timoris DEI, charitatis proximi, ad inſerenda continentiæ,necnon Angelicæ puritatis lilia: ut quilibet ex Nobis dicere valeat cũ Apoſtolo: *Ego plantavi,DEUS autem incrementũ dedit.* Ego iſtam Civitatẽ, iſtam villam rudimentis Fidei, ac honeſtis moribus deſtitutam, quaſi vineam deſolatam, ſilveſcentem excolui, expurgavi. Si ergo tam validis & laborioſis pro gloria DEI, pro ſalute Animarum utimur manibus, pro-

fectò digni operarii Cælestis Patris-familias vocandi & habendi sumus. Examinemus itaq; spirituales functiones, obligationes, & studia nostra, Consacerdotes in Christo charissimi; interrogemus frequenter non tantùm hodie conscientias nostras ad normam S. Greg: magni ita exhortantis: *Pensemus, qui unquam per linguam nostram conversi sunt, qui de perverso suo opere nostra increpatione correpti pœnitentiam egerunt? quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? quis avaritiam? quis superbiam declinavit per nos ædificatus? hactenus verba prælibati Vicarii Christi Domini.* Consideremus utramq; manum nostram, cui illæ inserviant, quid operentur, quid exstirpent, quid plantent? ne fortè similes simus idolis à Vate coronato vituperatis: *Oculos habent, & non videbunt, manus habent, & non palpabunt, Psal:* 113. Aut ne simus obnoxii illi fulmini: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, Ierem* 48. *C.*

Quot Concilia, quot Statuta Canonica, tot habemus stimulos, incitamenta ad colendam diligenter Vineam Domini Sabbaoth. Et si hæc temporis, vel memoriæ lapsu sepulta iacent in codice, habemus illa reviviscentia non tam in legis Latore & Judice, quàm in solicito Patre videlicet Jllustrissimo Excellentissimo ac Reverendissimo Antistite Nostro, qui

in omnibus seipsum *præbet exemplum bonorum operum*, præbet se Manuductorem ad evellenda, destruenda vitia perfectiorem, illo Abimelech expugnante turrim Sichem suosq; socios animante *Iudic*: 9. his verbis: *Quod me videtis facere, citò facite.* Totum autem tempus, & lingvæ omnes Synodi modernæ non sufficerent ad recensendos toleratos usq; ad sudorem vultûs, labores Jllustrissimi Præsulis Nostri pro emolumento & cultu Ecclesiæ, ideo generaliter dicendo *omnia benè fecit*; citò applicemus manus nostras ad similia rectefacta, ad portandum in Vinea Cælestis Patris-familias pondus diei & æstus, ut aliquando mereamur audire: Voca operarios, & redde illis mercedem, Amen.



ORA-

ORATIO SYNODALIS

à Perilluſtri Admodum Rdo Domino ADAMO KOŁŁĄTAY Sacræ Th: Doctore, Canonico Cathedr: Vilnenſi, Præp: Petricovienſi, die 12. Februarii ad initium tertiæ Seſſionis habita.

Bonus Paſtor Animam ſuam dat pro Ovibus Joan: 10.

EXcedit vires eloquentiæ, tranſcendit capacitatem intelligentiæ, grandis illa Paſtorum profeſſio; illorum certè? qui ingentibus terrenæ concupiſcentiæ immerſi fluctibus, eò ſublimioris gloriæ, quò ſolidioris curæ non attendentes ſpecimen, artem paſtoritiam callere præſumunt, quam hodie tanquam primum Synodaticæ convocationis objectum, Jlluſtriſſimi, Excellentiſſimi in hac Alma Diæceſi Paſtoris Paſtorum inſignitus benedictione, collecto gregi explanare intendo. Ut in filo tractandam teneam quæſtionem, eruditus Philo circumſcriptivam licèt (à ſimplici grege ſumendo inſtantiam) adfert definitionem; dicens: *Eſt enim ars Paſtoralis præludium ad regnum, hoc eſt ad regimen hominum gre-*

gis

gis mansvetissimi: & subdit: solus potest Rex usquequaq; perfectus, qui benè novit artem pastoritiam, & curando minora animalia discere, quomodo praesse debeat praestantioribus. De minoribus non hic tractatus animalibus, restat de præstantioribus; quæ hominum rationalium repræsentant figuram; sub hac ergo metamorphosi de iis pascendis hic labor, hoc opus est. Exodi 3. Cap: Pascendo Moyses oves Iethro soceri sui *descendit ad interiora deserti*, testatur scriptura: utiq; non absq; mysterio? prout advertit prædictus inquiens Author: *Secessit Moyses in intimam eremum orationis & contemplationis silentioris studio; utq; vota pro suis hebraeis liberius & ardentius nuncuparet, utq; se exerceret in virtutis stadio sub ratione magistrâ, quo se ad utrumq; vitae genus activum scilicet & contemplativum compararet.* Moraliter hic discite Pastores; solitudinem aptissimam esse, bonis pascuis, orationi, culturæ mentis, quieti & perfectioni: non frustra etenim coronatus agebat David Psalm: 54. *Elongavi fugiens & mansi in solitudine*, ast quo nam pacto? cum amor gregis solitudinem pati nequit? forsitan illam narrat: quæ custodiam domesticarum ovium non violare consvevit, in qua pro primo & principali tres greges incumbit cuiq; pascendos debere edocere; per primum gregem intelligi potest marcescibile corpus, eiusq;

membra

membra & motus; per ſecundum gregem concipi debet immortalis anima,ejusq́; omnes ſenſus & affectiones; per tertium deniq́; gregem, intelligendam fore humanam trinitatem; hoc eſt intellectum,memoriam, voluntatem, omnesq́; cogitationes & affectiones animi deputare, ab omni errorum & vitiorum fæce, easq́; ad normam veritatis & legis divinæ componendo cuſtodire. Et hi greges communiter in beata paſcuntur ſolitudine, antequam ad aliorum cuſtodiam apti reddantur. Summum enim bonum eſt animus fortuita deſpiciens, virtute lætus, extra metum & cupiditatem ſana mens, & in perpetua poſſeſſione ſanitatis ſuæ; atq́; ut ait S. Cyprianus U*na placida & fida tranquillitas, una ſolida & perpetua ſecuritas eſt, ſi quis ab inquietis ſæculi turbinibus extractus,DEO ſuo mente proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis ſublime ac magnum videtur,intra ſuam jacere conſcientiam glorietur; nihil appetere, iam nihil deſiderare de ſæculo poteſt, qui ſæculo major eſt.* Vos congregati hodie fideles Animarum Curatores, lectiſſimi præſentis Synodi Aſſeſſores, defacto maiores ſæculo eſtis; quia de ſæculo ejusq́; oblectamentis ſpiritualiter exempti; Vos ſupra omnes mortalium ſortes auguſtior evexit fortuna, ſi benè? vel infortunium, ſi malè & negligenter tam proprium corporis & animæ, quàm
com-

commiſſum ſibi gregem regere ſtuduiſtis, hucuſq; non implicati, non innodati, ſpecioſo & ſpatioſo, ſed periculoſo orbis retiaculo. Synonimicè mundus alio vocabulo orbis appellatur, & ſapienter, quia intimos aſſeclas ſuos virtutibus orbare, imò vitiis adornare ſolet, quod illa S. Eremitæ probatur hypotheſi: S. Antonius à Conſtantino Imperatore vocatus ire noluit, hæc proferendo: *Si ad Imperatorem venero, Antonius ero, ſin minus, Abbas Antonius.* Idem ſuis ſolebat dicere: *Non expedit Chriſti ſervis ſæcularium domos frequentare ſinè cauſa, ſicut enim piſces de aqua educti langveſcere & emori ſolent: ita Sacerdos confabulationi vacans, ad cordis tepiditatem redigitur, & circa ſpiritualia exercitia efficitur tardior.* Hanc dulciſſimam præſcriptionem ſvaderem cordibus veſtris applicare vigiles gregum Rectores; maximè cum ſcitis omnium ora atq; oculos in vos eſſe converſos; non ita tamen, ut vos à temporalibus abſtractos curis in deſerta velim collocare ſolitudine, quia & ſemoti à ſæculo non videntur ſuo caruiſſe deuteronomio; ſed ut fortiſſimè ac generosè non tamen licentiosè proſpera mundi atq; adverſa omnia contemnendo, exactè ea, quæ DEI ſunt, exequamini: ſecundùm Julii Cæſaris memorabile dictum, *in maxima fortuna minima debet eſſe licentia.* Hac via non invio gradiebatur inter alios e-

minentiſſimus meritis S. Cardinalis Carolus Borromæus, qui nulli labori, nulli auſteritati, nulli periculo parcebat pro DEI gloria & ſuorum ſalute promovenda, adeòq; talibus immori optabat, talem mortem in lucro reponens. Unde Archiepiſcopo Valentino (qui eum monebat, ut ſibi parceret, nec nimiis laboribus ac pænitentiis vitam abbreviaret) ita repoſuit: *Quod ſi etiam dum Eccleſiæ, pro qua Chriſtus acerbiſſimam mortem pertulit, opera navatur; virium, quas debilitari, vitæ, quam interire neceſſe eſt, iactura fiat: id verò maximi lucri atq; emolumenti locò ponendum eſt: nimis delicati hominis à muneris ſui, quo nullum amplius, nullum præſtantius eſt, adminiſtratione & curâ aut valetudinis ſtudio retardari, aut mortis formidine deterreri.* S. Silverius Pontifex & Martyr ab Auguſta Eutychiana per Belliſarium in Pontiam inſulam relegatus, ita Amatorem Epiſcopum epiſtolâ ſuâ conſolatus ſcribitur: *Suſtentor pane tribulationis, & aqua anguſtiæ, nec tamen dimiſi, aut dimitto officium meum.* O Ineffabilem boni Paſtoris zelum! inclytam exponere vitam; aliorum ſaluti conſulendo: Reſpicite & levate capita veſtra, qui eadem navi in dirigendo navigatis; an in eadem pro grege certamina reſoluti eſtis. Utinam, ſed dubito? forſitan à pane tribulationis fugitis? aquam anguſtiæ declinatis, commoda ac delicias de-

licati

licati quærendo corporis: considerate Fratres, an non de illis estis? de quibus mellifluus doctor S. Bernardus ad Eugenium scribens inquit: *Video nonnullorum in Ecclesia zelum omnem fervere pro dignitate tuenda: dignitati datur totum, sanctitati parum vel nihil:* fors motivô delectantis varietatis. Habent certè singula hominum officia, laboris aliquid, & aliquid quod delectet; advertite quorundam prudentiam, qui novo inter hæc artificio discurrentes, totum, quod delectat, eligunt & amplectuntur; quod verè molestum est, fugiunt & declinant: sed cum resurgere cæperint homines in ordine suo, ubi putatis, generatio collocabitur ista? si divertere voluerint ad milites Christi? infallibiliter repellent eos: pro eo, quòd secum minimè labores & pericula tolerârunt: quid ergo restat? nisi quia omnis ordo eos expellet & accusabit, ut illũ sortiantur locũ, ubi nullus ordo, sed sempiternus inhabitat horror: Studete igitur selecti Mysteriorum DEI dispensatores; regio modo juxta Ciceronis præscriptum ita vivere,ut non modò homini, sed ne cupiditati quidem ulli serviatis: *Debetis insuper contemnere omnes libidinis arcus, non auri, non argenti, non cæterarum indigere rerum, populi magis consulere utilitati, quàm propriæ voluntati, nemini cedere, omnibus obsistere* sed defensivè. In his ferè essentialibus Ars Pastoralis consistit,

cæteris virtutibus tanquam à radice fluentibus. De quibus iam mihi ſat erit & dixiſſe; ſiquidem nuper ad ſonoram Jlluſtriſſimi Michaëlis vocem velut ad ſonum Archangelicæ tubæ collectis ovibus palleſcere viſum eſt, non patulas inflectere aures, forſitan iudicii diem præſentientibus; cuius ſignifer Michaël? & certè verò ſimile quid? cum ad munus Paſtoris ſpectat bonis favere, & improbos coercere; ſed ne terreamini; & ſi etymon Michaëlis animum formidine implet: *Ioannes eſt nomen ejus*, illud quod gratiam ſonat; illud verè, quod in ſe cunctorum prope combinavit amores. Ex infallibili utiq; bonitatis indicio oves certatim vocem Paſtoris audire contendunt, juxta illud Evangelii: *Vocem ejus audiunt*, Joannis 10. & quare? pulchrè infert Naxera, *quia ſolicitam ejus de ſe curam clarè agnoſcunt.* Concordibus ergo votis ac vocibus, Seniores populi, Synodalis ſacer ordo Senatûs ex nomine Gratianum, ex re indefeſſum optimi Præſulis præ oculis habentes laborem, ſolicitam erga gregem ſuum ſpectantes vigilantiam, decantare poſteritati debebitis: quòd hæc limitibus nullis, nullo ſe fine coarctant: Quid ni memorabilia primi Littavi orbis Statoris recte facta diſtinctim numerare limitatus ſufficeret ſermo; Credite? non plus progredi valeret, niſi ad illa deveniſſet ſcripturæ verba; quid ultra in ſpatio Præ-

ſulatus

ſulatus Tui vineæ Tuæ, quid poſt aſcenſum ad Senatorios faſces Patriæ tuæ debuiſti facere, & non feciſti? quia conſummato curſu ſecundis avibus omnia benè perfeciſti, cupiens ſemper, prout & hodie compertum eſt, adferre medicas in publica commoda dextras. Jam igitur perennaturas laudes tuas ſatis legam, ſi heroicorum operum tuorum preſsus magnitudine ſilere incipiam.



ALLOCUTIO
Jllustrissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Loci Ordinarii In ipsa conclusione Synodi Ad Clerum habita.

UNo ore omnes fateri, & firmiter recognoscere debemus, quòd deficientibus viribus Nostris, *Dextera Domini fecit virtutem*, quæ sicut collegit feliciter istum Synodalem Congressum, & benedixit gratiosè in condendis Statutis progressum: ita optatam imponit eidem coronidem. Utinam tam copiosis Cælorum favoribus, Divinisq; muneribus ad vestrum & subordinatæ vobis Plebis profectum spiritualem non segniter usi fueritis, utinam abhinc in mystico totius Diœcesis Nostræ corpore nihil deforme, nec aliquod infectum aut corruptum inveniatur membrum: Unus etenim cometa inter mille stellas, conturbat cunctas cælestes sphæras, afficit, affligitq; mundum: Unus apud Corinthios inventus fornicarius con-

contriſtavit Apoſtolum Paulum usq; ad gemitum & amaritudinem animi. Utinam non reperiatur ullus talis, qui immemor vocationis ſuæ relictâ viâ arctâ, quæ ducit ad vitam, arripiat ſpatioſam, quæ ducit ad perditionem: Quid enim proderit illi, quòd à Chriſto ſit vocatus, de mundo ſegregatus, ſi denuo terrenis concupiſcentiis adhærere ſit paratus. Inclamare proinde iteratis vicibus & vocibus circa egreſſum veſtrum ex hac Baſilica Conſacerdotes in Chriſto chariſſimi cogor: *Videte vocationem veſtram*; & juxta illius obligationem ac legem, vitam moresq; veſtros inſtituite, minimam etiam ſtatui veſtro Sancto nolite irrogare contumeliam; ne ampliùs de quopiam dicatur: Ecce ſicut Populus, ſic Sacerdos. Non ſunt enim illa vera luminaria, quæ ubi maximè lucere deberent, obſcurantur; nec illa vera eſt gloria, quam vel minima vitii obfuſcat macula. Memineritis paternæ Ambroſii ad ſuos Diſcipulos exhortationis: *Filioli mei ita vos æſtimo, ſicut vos video*; eiusdem enim Doctoris ſpiritu & verbis certos facio cunctos, quòd ita vos univerſus mundus æſtimabit, prout viventes & vocationi ſuæ ſatisfacientes videbit. Scio ego quòd placere omnibus eſt impoſſibile, & plures tales invenirem, quales notavit Sacra Litera: *Corripe Sapientem, & amabit te, corripe inſipientem, & adjiciet te odiſſe.* Silere

tamen

tamen non licet, quamvis multis non ſit ad placitum correptio Noſtra, dummodo omnibus ſit ad ædificationem & correctionem vitæ. Dico itaq; vobis Fratres chariſſimi in veritate, quòd non ſufficit vobis vocari aut videri Sacerdotes, niſi virtutes Sacerdotales habueritis, ſicut non ſufficit vocari Filios Abrahæ, niſi qui opera Abrahæ fecerint. Progrediamur igitur veſtigiis bonorum Paſtorum, imitemur perfectos Sacerdotes, obſervemus doctrinas & Statuta Sanctorum Patrum, non tædeat nos laborum in Vinea Chriſti, ut conſequi mereamur præmia æterna, & ſecurè perveniamus ad Patrem miſericordiarum, cui *nunc commendo vos, & verbo Gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare,* bonos confirmare, malos corrigere, & perducere ad Patriam Cæleſtem: Illi ſoli ſit in omnibus & per omnia Laus & Gloria ſempiterna.



STATUS

STATUS ECCLESIASTICUS
Diœceſis Vilnenſis
Cum ſpecifica expreſſione Beneficiorum ac Beneficiatorum ſequenti ordine
DISPOSITUS.
ECCLESIA CATHEDRALIS
VV. Capitulum huius Almæ Eccleſiæ.

PRÆPOSITUS Prælatus Cath:	Jllmus Rndmus Dominus JOSEPHUS Comes SAPIEHA Epiſcopus Diocæſarien: Suffrag: & Coadiutor Viln: Referend: M. D. L.
DECANUS Prælatus Cath:	Perillris Rndmus Dom: ANTONIUS ZOŁKOWSKI S. Th: & J. UU. Doctor, Officialis Gnlis & Vicarius in ſpiritualibus, Nominatus Suffraganeus Albæ Ruſſiæ.
ARCHIDIACONUS Præl: Cath:	Jllmus Rndmus Dominus ALEXANDER HORAIN Epiſcopus Hirenenſis, Suffraganeus Samogitiæ.
CUSTOS Præl: Cath:	Vacat.
SCHOLASTICUS Præl: Cath:	Jllmus Rndmus Dominus JOSEPHUS de Koźielſk PUZYNA S.Th: & J. UU. Doctor, Epiſcopus Livoniæ & Piltinenſis.
CANTOR Præl: Cath:	Perillris Rndmus Dominus JOANNES BYCHOWIEC.

I. CANONICUS	Perillustris Adm: Rndus Dominus JACOBUS SZCZUKA Senior Canonicus.
2. CANONICUS	Perillustris Admodum Rndus Dominus DOMINICUS PRZECŁAWSKI.
3. CANONICUS	Jllmus Rndmus D. ANTONIUS Comes in Łohoysk & Bardyczew TYSZKIEWICZ Ep: Samog:
4. CANONICUS	Jllmus Rndmus Dominus ANTONIUS WOYNA Supremus Secretarius M. D. Lit:
5. CANONICUS	Perillustris Adm Rndus Dominus JOANNES ŁOPACINSKI.
6. CANONICUS	Perillustris Adm Rndus Dominus CAROLUS KARP Juris UU. Doctor.
7. CANONICUS	Perillustris Adm Rndus Domin9 ALEXANDER PUKIEN.
8. CANONICUS	Perillustis Adm Rndus Dominus THOMAS ZIENKOWICZ S. Th: & J. UU. Doctor.
9. CANONICUS	Perillustris Adm Rndus Dominus ADAMUS KOŁŁATAY S. Th: Doctor.
10. CANONICUS	Perillustris Adm Rndus Dominus SAMUEL RODKIEWICZ S. Th: Doctor.
11. CANONICUS	Perillustris Adm Rndus Dominus IGNATIUS MASSALSKI.
12. CANONICUS	Vacat
Cancellarius Diœcesanus	Perillustris Adm Rndus Dominus STANISLAUS BRONISZ.
Archidiaconus Albæ Russiæ	Perillustris Adm Rndus Dominus ERNESTUS De LATOUR Juris UU. Doctor.

Officiales Cathedrales & Diœcesani.

MAGISTER Cerimoniarũ	Jllustris Adm Rndus Dominus JOSEPHUS DONADTT Cancel: Smolen:

PÆNI-

PÆNITENTIARIUS	Jllustris Adm Rndus Dominus THOMAS STACEWICZ Proth: Aplicus.
NOTARIUS Offic: Consist:	Jllustris Adm Rndus Dominus THOMAS SZYMAK C. S. J. UU. Doctor, Proth: Aplicus.
NOTARIUS VV. Capituli	Jllustris Adm Rndus Dominus MICHAEL OLESZKIEWICZ C. P. Notar: Aplicus.
REGENS Seminar:Diœc:	Jllustris Adm Rndus Dominus FRANCISCUS POLKOWSKI.
PRÆPOSITUS Colleg: Diœc:	Jllustris Adm Rndus Dominus FRANCISCUS WASILEWSKI.
PRÆPOSITUS Xenod: Cath: S. Rochi	Jllustris Adm Rndus Dominus MARTINUS DÆBROWSKI.
CONCIONATORES Cath:	AA. RR. PATRES Scholarum Piarum.

Advertendum: *Quod hi suprà expressi Officiales, in Processionibus & aliis publicis actibus, non omnes præcedere debent Ven: Collegium Vicariorum, sed quibus per specialia Decreta & ordinationes data est præcedentia.*

Vice-Prælati & Vicarii Cathedrales.

Vice DECANꝰ	Jllustris A. R. D. GREGORIUS RYCHOWSKI.
Vice CUSTOS	Jllustris A. R. D. ANTONIUS ZAWADZKI Præp: Capellæ Wołłovic:
ViceCANTOR	Adm R. D. JOANNES PAWŁOWSKI.
VICARIUS	Adm R. D. ANDREAS SZEGSZNAR.
VICARIUS	Adm R. D. SIMON GAYLEWICZ.
VICARIUS	Adm R. D. ANTONIUS JORDAN.
VICARIUS	Adm R. D. JOANNES ZANIEWSKI.
VICARIUS	Adm R. D. JOSEPHUS PROKOPOWICZ.
VICARIUS	Adm R. D. NICOLAUS KARPOWICZ.
VICARIUS	Adm R. D. ANTONIUS ZALESKI.
VICARIUS	Adm R. D. GREGORIUS KORZUN.

VICARIUS	Adm R. D. MATTHÆUS PIEKARSKI.
SACRISTIANꝰ	Adm R. D. MATTHÆUS SYCZEWSKI.

Perilluſtres, Jlluſtres, Admodum Reverendi Domini Decani, Præpoſiti, Parochi, Comendarii, Vicarii, Altariſtæ &c.

DECANATUS Vilnenſis.

VILNA METROPOLIS.

S. Joannis Eccles: Paroch:	Stephanus Maſzowſki J UU. Doctor, Can: Cath: Samog: Vicarius perpetuus.
Antokole Eccles: S. Petri	Canonici Regulares Lateranenſes.
S. Stephani Præpoſit:	Stephanus Turczynowicz.
SS. Trinitat: Præpoſit:	Joſephus Donadtt Magiſter Cerimoniarum Cancellar: Smol:
S. Nicod: Præ:	Michàél Dąbrowſki.
S. M. Magd: Præ:	Andreas Szegſzdar Vicar: Cath:
Zarzecze S. Auguſtini.	Canonici Regulares BB. MM. de Pænit:

EXTRA CIVITATEM.

Niemenczyn	Jllmus ALEXANDER HORAIN Ep: Hirenen: Suffr: Samog: Archidiac: Prælat: Cath: Viln:
Korkożyſzki	Martinus Goſtkowſki.
Ławaryſzki	Michàél Duſzewſki.
Rykonie	Andreas Kłopotowſki.

Miedniki

Miedniki	Can: Reg: BB. MM. de Pænit:
Szumſk	PP. Ordinis Prædicatorum.
Cudźieniſzki	Staniſlaus Broniſz Cancel: Diœc:
Turgiele	Caſimirus Zaremba Decanus Vilnenſis.
Rudomina	Joannes Taraſewicz *Comendarius.*
Rudniki	Filia Eccleſiæ S. Steph: Idem.
Kiernow	Joannes Pacewicz *per Comendam.*
Altaria	Stephanus Rogalſki.
Podbrzeźie	Caſimirus Junicki.
Meyſzagoła	Alexander Oſtrowſki.
Altaria	Jacobus Bielawſki.
Werki	PP. Ord: Prædicatorum.

Capellæ in hoc Decanatu.

Porudominie, Korzyść, Szylany, Mickuny, Sużany, Glinciſzki, Kiena, Dukſzty, Onzodow, Wołkorabiſzki, Oryany.

DECANATUS Poboyſcenſis.

Poboyſk	Michâël Piotrowſki *Decanus.*
Szeſzole	Franciſcus Dębkowſki.
Nidoki	Joſephus Buykiewicz.
Zmuydki	Georgius Woynicki.
Owanta	Mathias Juchnowicz.
Skiemiany	Canon: Reg: BB. MM. de Pænit.
Bolniki	Vacat.
Widzeniſzki	MICHAEL ANTONIEWICZ Præp: Inful: Ord: Can: Reg: BB. MM. de Pænit:
Malaty	Joannes Reminkiewicz.
Inturki	Joſephus Grabowſki *per Comendam.*
Dubinki	Georgius Bialunſki.
Giedroyćie	Onuphrius Jaſtrzębſki.



Szyrwinty	Antonius Leśniewſki.
Muſzniki	ADAMUS KOŁŁATAY Can: Cath: Viln: S. T.D.
Gielwany	Filia Poboyſc: PP. Ord: Min: Conventualium.
Upniki	Staniſlaus Łukaſzewicz *per Comendam.*

Capellæ in hoc Decanatu.

Nova Szyrwinta, Suginty, Liliſzki, Jurginie, Rudeſa, Janiſzki, Styrnie, item Styrnie, Szeſzole.

DECANATUS Oſzmianenſis.

Oſzmiana	Andreas Markiewicz.
Zuprany	Joannes Korzun.
Soły	Stephanus Swirkowſki.
Daniuſzow	Filia Solenſis Idem.
Oſtrowiec	PP. Ord: Prædicatorum.
Worniány	Georgius Szuſzycki J. UU. Doctor.
Gierwiaty	Mathias Puŀianowſki.
Smorgonie	Joannes Rodoman.
Cićin	Filia Smorgonenſis Idem.
Olſzany	PP. Ord: Min: Conven: Par: Math: Andruſzkie-
Krewo	Franciſcus Klimowicz. (wicz.
Altaria 1.	Zákrzewſki.
Altaria 2.	Vacat.
Łoſk	Joannes Ambrożewicz.
Traby	Ludovicus Strawinſki.
Altaria	Stephanus Uſzynſki.
Surwiliſzki	Vacat.
Narwiliſzki	PP. Ord. Min. Conventual.
Graużyſzki	Vacat.

Capellæ in hoc Decanatu.

Worona, Sokołoyćie, Smorgonie.

DECA-



DECANATUS Svirenſis.

Swir	Andreas Giedroyć C. S.
Altaria 1.	
Altaria 2.	
Miadźioł	Parthenius Kozákiewicz.
Stary Miadźioł	Alexander Rutſki *Altariſta.*
Poſtawy	Franciſcus Sławſki.
Zádźiewie	Antonius Ruśiecki *Decanus Svirenſis.*
Komaie	Joſephus Ciechanowiecki.
Łyntupy	Caſimirus Urbanowicz.
Altaria	Michäël Oleſzkiewicz Notar: V. Capituli.
Swiranki	Joſephus Zukiewicz.
Byſtrzyca	Thomas Jelenſki.
Michaliſzki	Canon: Reg: BB. MM. de Pœnit:
Zodźiſzki	Caſimirus Drozdowſki.
Altaria	Idem.
Woyſtom	Joannes Twardowſki.
Kurzeniec	Joſephus Bartoſzewicz.
Kobylnik (cze	Michäël Borodźicz.
Kośćieniewi-	Vacat.
Nieſtaniſzki	Paulus Jedlinſki.

DECANATUS Lidenſis.

Lida	Petrus Strokowſki.
Krupa	Filia Lidenſis Idem.
Białohrud	Joſephus Sochacki.
Wawiorka	Franciſcus Waśilewſki.
Dylewo	Idem.
Altaria	Idem.
Waśiliſzki	Joannes Roiſzewſki *per Comendam.*
Iſzczołna	Georgius Morozowſki.
Bielica	PP. Ord. Prædicatorum.

Zołudek

Zołudek	Josephus Bukiewicz.
Rożanka	Fabianus Gaydamowski.
Szczuczynek	PP. Scholarum Piarum.
Kamionka	Joannes Sielawski.
Lack	Stanislaus Goydamowicz *Decanus Lidensis.*
Jatwiesk	Filia Lacensis Idem.
Nowydwor	Georgius Jacewicz.
Zabłoćie	Stephanus Tołwinski.
Zyrmuny	Stanislaus Ungier.
Horodno	Ignatius Moniuszko.
Niećiecza	Mathias Nosewicz.

Capellæ in hoc Decanatu.

Misiewicze, Przewoża.

DECANATUS Radunensis.

Raduń	Matthæus Krahelski,
Altaria (Rad:	Idem.
Dubicze Filia	Carolus Eyśmont *Comendarius.*
Eyszyszki	Thomas Korsak C. S. *Decanus Radunen:*
Nacza	Kuczewski *per Comendam.*
Soleczniki	Casimirus Swierzbinski.
Soleczni: małe	Filia Idem.
Bieniakonie	Franciscus Schabikowski.
Hermaniszki	Joannes Szymonowicz *per Comendam.*
Błotno seu Werenow	PP. Scholarum Piarum.
Trokiele	Antonius Gutowski *Proth: Aplicus.*
Dworzyszcze	Filia Trokielensis PP. Soc: JESU.
Gieranony	Jllmus ALEXANDER HORAIN Episc: Hirenen. Suff: Samog: Arch: Præl: Cath: Viln: Præp: Inful:
Sobotniki	Thomas Szymak C. S. Not: Offic: Consist: Viln:
Łazduny	Filia Sobotnicen Idem.

Lipniszki

Lipnifzki	Andreas Charytanowicz.
Zygmunćifzki	Filia Lipnicen: Idem.
Iwie	Mathias Daulafewicz.
Dudy	Filia Iwien: Idem.
Dźiewienifzki	Hurynowicz *per Comendam.*

Capellæ in hoc Decanatu.

Konwalifzki, Boczefzniki, Kondraćifzki,

DECANATUS Wiłkomirienfis.

Wiłkomierz	Ludovicus Zuk C. L. *Decanus.*
Widźifzki	Filia Wiłkomir: Joannes Bokun *Comendarius.*
Towiany	Filia Wiłkomir: Idem.
Towiany Alt:	Wiłkomir: Jacobus Szczuka Can: Cath: Vilnen:
Dźiewiałtow	Antonius Zukowfki.
Sieśiki	Sebaftianus Chrzczonowicz *per Comendam.*
Kaplice	Filia Sieśifcenfis, Idem
Pogiry	Jofephus Pękofzewfki.
Szaty	Dominicus Szukiewicz.
Zeymy	Bartholomæus Nareyko.
Kieydany	Cafimirus Judynowicz.
Opitołoki	Dominicus Medekfza.
Użwilkie	Filia Opitołocen: Idem.
Remigoła	Martinus Bardźiewicz *Comendarius Jurat:*
Altaria	Idem.
Poniewież	Stanifłaus Sągayło *Comendarius Jurat:*
Troupie	Hilarius Tomafzewicz.
Rogow	Bonawentura Rychlicki.
Neoftadium	Stanifłaus Baniewicz.
Onikfzty	Joannes Łopaćinfki Can: Cath: Vilnen:
Altaria	Idem.
Kurkle	Filia Onikfztenfis Can: Reg: BB. MM. de Pæn:
Kowarfk	Stanifłaus Niekrafz.

Traſzkuny	PP. Ord: Min: de Obſervantia.
Pompiany	PP. Ord: Carmel: antiquæ Obſervantiæ.

Capellæ in hoc Decanatu.

Upita, Wieprze.

DECANATUS Kupiſcenſis.

Kupiſzki	Jacobus Goyżewſki.
Szymance	Filia Kupiſcen: Idem.
Swiadośćie	Vacat.
Subocz	Adamus Fergis.
Wobolniki	Stephanus Kudrycki *Decanus Kupiſcen:*
Poſwol	Joannes Pieńkowſki.
Kryniczyn	Staniſlaus Kuzowſki.
Podbirże	Laurentius Daukſza.
Birżé	Idem *per Comendam.*
Popiele	Filia Birzenſis.
Poniemunie	Can: Reg: BB. MM. de Pænit.
Radkuny	Filia Poniemunenſis.
Kwetki	Filia ejusdem.
Ponedele	Michàél Balewicz.
Rakiſzki	Saurymowicz *per Comendam.*
Hanuſzyſzki	Filia Rakiſcenſis Idem.
Abele	Michàél Staniewicz.
Krewny	Petrus Boniuſzko.
Duśiaty	Joannes Plath C. P. *Decanus Braſlavien:*
Jużynty	Filia Duśiatenſis Can: Reg: BB. MM. de Pænit:
Wenuſow	Item Filia Duśiatenſis.
Skopiſzki	Caſimirus Witkowſki.
Altaria	Baſilius Haćkowſki.
Ućiána	Nicolaus Strutynſki C. P. S.
Wiżuny	Caſimirus Łukaſzewicz.
Uſzpole	Idem *per Comendam.*

Komayki

Komayki	Conſtantinus Rukſza.

Capellæ in hoc Decanatu.

Sołomieść, Sieruyki, Mieżyſzki, Wyſoki dwor, Owile, Daugiele, Antolepty.

DECANATUS Braſłavienſis.

Braſław	Dominicus Przecławſki Can: Cath: Vilnen:
Opſa	Filia Bracłavien: Idem.
Widze	Joſep: Donadtt Cancel: Smol: Magis: Cer: Cath:
Altaria	Idem.
Hodućiſzki	Joſephus Bazylewſki.
Swinćiany	Franciſcus Kononowicz J. UU. Doctor.
Altaria	Idem.
Daugieliſzki	Stephanus Tomaſzewſki *per Comendam.*
Łyngmiany	Andreas Woynorowicz
Kołtyniany	PP. Ord: Min: Conventualium.
Kukućiſzki	Joannes Barcewicz.
Łabonáry	Filia Kukućiſcenſis Idem.
Tauroginy	Caſimirus Szukiewicz.
Sołok	Felicianus Zuk *Comendarius.*
Jeźioroſy	Alexander Kozakowſki.
Smołwy	Filia Jeźioroſenſis Idem.
Dryświaty	Joſaphat Rudomina.
Druia	Carolus Karp Can: Cath: Vilnen: J. UU. Doct:
Ikaźń	Chriſtophorus Dmochowſki.
Pohoſt	Filia Ikaznen: Idem.
Twerecz	Can: Reg: BB. MM. de Pænit:
Miory	Can: Reg: BB. MM. de Pænit:

Capellæ in hoc Decanatu.

Suwiek, Sieniſzki, Rymſzany, Dukſzty, Mile, Gayda, Poſzumienie, Poſzcza.

DECANATUS Trocenſis.

TROKI PRÆP:	Illmus JOSEPHUS Comes SAPIEHA Ep: Diocæſarien: Suffrag: & Coadiutor, Præp: Præl: Cath: Vilnen: Referendar: M. D. L.
Stare Troki Abbatia	Joannes Cantius Jakielſki Abbas Ordinis Sancti Benedicti.
Anuſzyſzki	Vacat.
Piwoſzuny	Petrus Gaiewſki Ord. S. Benedicti.
Punie	Jacobus Szczuka Can: Cath. Vilnen:
Olita	Joſephus Bielſki.
Daugi	Antonius Ciołkowicz.
Przełaie	Filia Daugienſis, Idem.
Niemonoyćie	Dominicus Czarkowſki.
Nietowiſzki	Vacat.
Liſzkow	Antonius Czerhanowicz.
Merecz	Antonius Abramowſki.
Ibidem Eccl:	S. Petri, Idem.
Altaria	Idem.
Olkieniki	Joannes Zmijowſki *Decanus Trocenſis.*
Rumbowicze	Alexander Zulinſki.
Miroſław ſeu Słoboda.	Matthæus Chodorowſki.

Capellæ in hoc Decanatu.

Duſzmiany, Butrymance, Rudziuki, Orany.

DECANATUS Semnenſis.

Siemno	Ignatius Komar.
Urdomina	Bartholomæus Juſzkiewicz.

Łozdźieie

Łozdźieie	Ignatius Jabłecki.
Balwierzyſzki	Joſephus Tylicki.
Udrya	Ignatius Trzećiak *per Comendam.*
Daukſze	Filia Udryenſis Idem.
Metele	Jacobus Biały Bielicki.
Sereie	Joſephus Kozáczęko.
Swięte Jeźiora	Idem *per Comendam.*
Wieyśieie	Joſephus Zakowſki.
Berźniki	Staniſlaus Kowzan *Decanus Semnenſis.*
Seyny	PP. Ord: Prædicatorum.
Punſk	Petrus Jachimowicz.
Kopćiwſk ſinè cura Animarũ.	Chroſtowſki.

Capellæ in hoc Decanatu.

Leypuny, Wigry, Rzeczow, Krafna, Stebinki, Gudele, Juſtyanow, Olſzanka.

DECANATUS
GRODNENSIS.

GRODNO Præpoſit:	Jllmus STANISLAUS ŁUBINSKI Supremus Regni Notarius, Schol: Præl: Cath: Cracovien:
Altariæ 2.	Idem.
Præp:Xen:S.Spir:	Idem.
Grodno Paroch.	PP. Ord: Min: Convent: Fr: Antonius Olechnowicz S. Th. Doctor, Defin: Gvar: Grod:
Hoża	Adalbertus Chmielewſki *Decanus Grodnenſis.*
Jeźiory	Joſephus Protaſewicz.
Kwaſowka	Petrus Rezan.
Poniemuń	Filia Kwaſowcenſis, Idem.

 Eyśmonty

Eyśmonty	Andreas Eyśmont Can: Prem:
Brzoſtowica minor	Vacat.
Krynki	Joannes Szyſzka.
Odelſk	Antonius Gołaśiewſki.
Altaria	Joannes Brucki.
Kuznica	Joannes Chodykin.
Sokołka	Carolus Glinſki.
Szudźiłow	Idem *per Comendam.*
Sokolany	Simon Buialſki.
Indura	Andreas Winſki.
Kądzyn	Joannes Strupinſki.
Dąbrowa	Adalbertus Cwiklinſki.
Altaria	Idem.
Nowydwor	Adalbertus Koc.
Altaria 1ma	Matthæus Pacoſzewſki *Decanus Auguſtovienſis.*
Altaria 2da	Simon Koc.
Kraſnobor	Andreas Koſsakowſki.
Lipſk	Gabriel Sowośćianowicz.
Zaleśie	Remigius Szczawinſki.
Sidra	Joſephus Pawłowſki.
SopoćkinieAlt:	Koźielecki.

DECANATUS
Caunenſis.

KOWNO Paroch:	Alexander Pukień Can: Cath: Vilnen:
Altaria	Idem.
Præp: S. Crucis	Laurentius Rodźiewicz.
Jezno	Michäel Strebeyko *Decanus Caunenſis.*
Stokliſzki	Antonius Jarocki.

Wyſo-

Wyſoki Dwor	PP. Ord. Prædicatorum.
Sumiliſzki	Caſimirus Jarocki.
Zyżmory	Joannes Narwiłowicz.
Kietuwiſzki	Joſephus Armacki.
Zośle	Carolus Juſsewicz.
Giegużyn	Staniſlaus Szukſzta.
Poporćie	PP. Ordinis Prædicatorum.
Kozákiſzki	Filia Poporcenſis, Iidem.
Kormiałow	Joannes Daubakowicz.
Łopie	Filia Kormiałovienſis, Idem.
Skorule	Joannes Stungur.
Wądźiagoła	Petrus Nowomieſki.
Bopty	Vacat.
Rumſzyſzki	Joſephus Łukaſzewicz *per Comendam.*
Użogośćie	Joannes Wiśmont.
Dorſuniſzki	Simon Butrymowicz.
Preny	Alexander Hallenowicz.
Berſztany	Filia Prenenſis, Idem.

Capellæ in hoc Decanatu.

Kuľwa, Pieſztowiany, Giedynańćie.

DECANATUS
Olvitenſis.

Olwita	Antonius Wadowſki.
Altaria	Joannes Dankwárt.
Grayżyſzki	Rochus Jozefowicz.
Kalwarya	Ignatius Binert.
Wiżany	Thomas Gośiewſki.
Lubowo	Filia Wiżanenſis, Idem.
Łankieliſzki	Joſephus Wnorowſki *Decanus Olvitenſis.*
Ludwinow	Andreas Maćiunſki *Comendarius.*

Poiewonie

Poiewonie	Andreas Ludkiewicz.
Bartniki	Joannes Olſeyko *per Comendam.*
Wiſztyniec	PP. Soc: JESU.
Filipow	Joannes Neyman.
Przerośl	Caſimirus Truſkolaſki.
Bakałarzow	Staniſlaus Dorff.
Raczki	Georgius Maćieiowſki *per Comendam.*
Janowka	Adalbertus Jaworowſki.
Wiłkowiſzki	Simon Jodźiewicz.
Pilwiſzki	Filia Wiłkowiſcenſis, Idem.
Suwałki	PP. Camaldulenſes.

Capellæ in hoc Decanatu.

Wężupie, Wołłowicze.

DECANATUS Polocenſis.

Połock	PP. Soc: JESU.
Dołhinow	Georgius Dąbrowa.
Dokſzyce	Michäël Fiodorowicz.
Parafianow	Stephanus Milewſki.
Głębokie	Simon Broniewſki.
Leple	Vacat.
Kublicze	Nicolaus Molſki.
Altaria	Gaſpar Rodźiewicz.
Altaria 2da.	Ignatius Zebrowſki.
Wołkołata	Joſephus Kleczkowſki *Decanus Polocenſis.*
Altaria	Bonifacius Kleczkowſki.
Duniłowicze	Paulus Gośćiminſki.
Zadoroż	Ignatius Zebrowſki.
Dźiſna	Joannes Łunniewicz.

Serwecz

Serwecz	Vacat.

Capella in hoc Decanatu.

Zamosze.

DECANATUS Novogrodensis.

Nowogrodek	Josephus Ponikwicki *Comendarius perpetuus.*
Altaria 1.	
Altaria 2.	
Wsielub	Nicolaus Ponikwicki *Decanus Novogrodensis.*
Mir	Felicianus Zabielski.
Altaria 1.	Idem.
Altaria 2.	Michäel Rynszkiewicz.
Nieświż	Ernestus De Latour Archid: Albæ Russiæ.
Kleck	Antonius Suźin *Can: Bresten:*
Niedźwiedźica	Franciscus Czerniawski.
Lachowicze	Benedictus Nornicki.
Altaria	Idem.
Swoiątycze	Casimirus Narkiewicz.
Iskołdź	Vilhelmus Herkenrath *Can: Luceorien:*
Snow	Andreas Hreczycha.
Swierżno	Stephanus Zdanowicz.
Mikołaiewszczyzna	Joannes Kowzan.
Niehniewicze	Vincentius Krynski.
Sienno	Josephus Ponikwicki.
Lipa	Vacat.

Capella in hoc Decanatu.

Serwecz.

DECANATUS Słonimensis.

Słonim	Franciscus Ancuta C. Liv.
Altaria	Christophorus Modzolewski.
Darewo	Antonius Nienkiewicz.
Mysz	Mathias Krugielewicz.
Kroszyn	Ignatius Karmazynowicz.
Lipsk	Vacat.
Stwołowicze Præp:	Perillustris Rndmus ANTONIUS ZOŁKOWSKI S. Th. & J. UU. Doctor, Dec: Præl: & Offic: Gen: Viln: Nominatus Suffrag: Albæ Russiæ.
Altaria	
Zadźwieie	Rudolphus Kiersnowski.
Horodyszcze	Josephus Łotowski. *Decanus Słonimensis.*
Połonka	Vacat.
Staroielna	Josephus Łyskowski.
Kośicze	Vacat.
Altaria	Idem.
Zdźięćioł	Vacat.
Altaria	Joannes Bielawski.
Dworzec	Michäel Włodźimirski.
Rohotna	Joannes Jekubowicz.
Altaria	Laurentius Kotkowski.
Mołczadź	Petrus Milewski.
Altaria	Mathias Krugielewicz.

Capella in hoc Decanatu.

Szczonow.

DECANATUS Rożanensis.

Rożana	Jllmus JOSEPHUS de Koźielsk PUZYNA Episcopus Livoniæ Scholast: Præl: Cath: Viln:

Łyskow

Łyſkow	Joannes Bychowiec Cantor Præl: Cath: Viln:
Porozow	Leo Frąckiewicz Cuſt: Præl: Cath: Samog:
Miedzyrzecz	Chriſtophorus Modzolewſki *Decanus Rożanenſis.*
Altaria	Jacobus Modzolewſki.
Zelwa	Conſtantinus Jáſkołd.
Moſty	Antonius Walicki.
Dereczyn	PP. Ord: Prædicatorum.
Łukonica	Joſephus Radonſki.
Koſſow	Dominicus Kawecki.
Janow	PP. Ord: S. Benedicti.
Łahiſzyn	PP. Soc: JESU.
Olſzewo	Antonius Abramowicz.

DECANATUS Volkowyſcenſis.

Wołkowyſk	Theodorus Kwaſzynſki.
Hniezno	Vacat.
Swiſtocz	Joannes Budkiewicz.
Jałowką	Simon Zeń.
Brzoſtowica maior	Martinus Goździnſki.
Altaria	Idem.
Szydłowice	Michàél Petelczyc.
Repla	Caſimirus Boryſewicz.
Altaria	Idem.
Wołpa Præp:	Joannes Bychowiec Cant: Præl: Cath: Vilnen:
Altaria	Ignatius Mocarſki.
Łunna	Idem Ignatius Mocarſki.
Roś	Raphàél Swięcicki.
Krzemienica	Can: Reg: Lateranen: Præp: Simon Jaroſzewicz.
Mścibow	Paulus de Rachety *Decanus Voľkowyſcenſis.*
Strubnica	Vacat.

DECANATUS Vitebſcenſis.

Witebſk	Caſimirus Łukaſzewicz *Com: perpet: Dec: Viteb:*
Altaria	Stephanus Kozbilewicz.
Boryſow	THOMAS ZIENKOWICZ S. Th. & J. UU. Doctor, Can: Cath: Vilnen:
Czereia	Joannes Rudźikowſki *Decanus Orſzanenſis.*
Łukoml	Samuel Załęczkowſki C. P.
Rudneśioło	Altaria RR. DD. Miſſionariorum.
Sienno	PP. Ord: S. Franciſci Conventual:
Bielica	PP. Ord: Prædicatorum.
Oſtrowno	PP. Ord: Prædicatorum.
Sorzyca	
Bieśienkowicze	Franciſcus Kotlinſki.
Nieporota	Stephanus Kozbilewicz.
Mikulin	PP. Ord: S. Franc: de Obſervantia.
Bobr	Franciſcus Tyminſki.

DECANATUS Orſanenſis.

Orſza	Simon Hryniewicz C. L. Proth: Aplicus.
Faſzczowka	Filia Orſan:: PP. Soc: JESU.
Hory	Michaël Włodźimirſki C. S. Proth: Aplicus.
Horki	Idem.
Mśćiſław	PP. Ord: Carm: Ant: Reg: Obſervan:
Mazyki	Filia Mſciſtavienſis, Iidem.
Paćkow	Filia Mſciſtavien: PP. Ord: Prædic:
Czauſzy	PP. Ord: Carmel: Ant: Obſerv:
Szkłow	PP. Ord: Prædic: Eccleſiam Parochialem commiſſam habent.
Mohilow	Caſimirus Wołczek Schol: Præl: Smol:
Altaria 1.	Idem.
Altaria 2.	
Bychow	Canon: Reg: Lateranen:

Biały-


Białynicze	PP. Ord: Carm: Ant: Obſerv:
Starośiele	Alexander Skwarkowſki.
Tołoczyn	Georgius Mattkiewicz C. S.
Altaria	Vacat.
Kniażyce	PP. Ord: Prædicatorum.
Obolce	Erneſtus De Latour Archid: Albæ Ruſſiæ.
Altaria	
Smolany	PP. Ord: Prædic:
Dąbrowna	PP. Ord: Min: de Obſervantia.
Kadzyn	
Worоćkow	Antonius Piedźiewicz.
Malatycze	PP. Ord: Prædicatorum.

Capellæ in hoc Decanatu.

Krzyczew, Hołończyn, Ułukle.

DECANATUS Minſcenſis.

Minſk	Vacat.
Altaria 1.	Antonius Hryckiewicz.
Altaria 2.	Vacat.
Wiwieniec	Michàël Staniewicz Archid: Smol:
Wołma	Franciſcus Matuſewicz.
Chołchła	Ludovicus Marćiſzewſki.
Naliboki	Andreas Kłopotowſki.
Derewna	
Kamień	Gaſpar Szczepkowſki *Decanus Minſcenſis.*
Altaria	Idem.
Pierſzaie	Antonius Roſa. Altaria, Idem.
Wiſzniew	Dominicus Nornicki.
Altaria	Idem.
Zabrzezie	Samuel Rodkiewicz S.Th: Doct: Can: Cath: Viln.
Rakow	PP. Ord: Prædicatorum.
Koydanow	Stephanus Kuczarſki.
Uzda	Mathias Zacharewicz.



Stołpce	PP. Ord: Prædicatorum.
Puchowicże	Vacat.

Capellæ in hoc Decanatu.

Zoniewszczyzna, Chotowa czarna, Kuchċice.

DECANATUS Radoſzkovicenſis.

Radoſzkowicę	Simon Mchowſki S.Th.Doct: C.S. Proth: Aplicus.
Zaſław	Caſimirus Poćieyko *Decanus Radoſzkovicenſis.*
Łohoyſk	Jllmus ANTONIUS Comes TYSZKIEWICZ Epiſcop: Samog:
Hayno	Michàël Bułhak.
Korzeń	Ignatius Alexerun.
Ziembin	PP. Ord. Prædicatorum.
Chotaiewicże	PP. Ord. Prædic:
Jlla	Antonius Pomian.
Lebiedźiow	Michàël Koſsakowſki *Decanus Oſzmianenſis.*
Altaria	Idem.
Horodźiłow	Caſimirus Zakrzewſki.
Hruzdow	Adamus Taraniewſki.
Chożow	Georgius Rodźiewicz.
Kraſneśicło	Joſephus Chełchowſki.
Markow	Vacat.

Capella in hoc Decanatu.

Olkowicze.

DECANATUS Bobroyſcenſis.

Bobroyſk	Joſephus Krynſki *ſimul Decanus.*
Hłuſk	PP. Ord: Minor: de Obſervan:
Karpiłowka	Stephanus Błażewicz.
Zurowice	Can: Reg: Lateranen:
Rzeczyca	PP. Ord: Prædicatorum.

Homel

Homel	Benedictus Chanecki.
Mozyr	Benedictus Przewłocki.
Babicze	Filia Mozyrensis Idem.
Petrykow	Adamus Kołłątay S. Th. Doct: Can: Cath: Viln:
Dáwidgrodek	Joannes Wolski.
Cimkowicze	Dominicus Juniewicz.
Słuck	Dominicus Ryaukoûr Can:Cath: Gnez: & Luceor:
Altaria 1.	Matthæus Ambrożewicz.
Altaria 2.	Casimirus Orzeszko.
Altaria 3.	Antonius Iwaszkiewicz.
Kopyl	Dominicus RYAUKOUR *qui supra.*
Altaria 1.	Idem.
Altaria 2.	Vacat.
Berezyna	Josephus Preys.
Bohuszewicze	Idem.

Capellæ in hoc Decanatu.

Kożangrodek, Horbowicze, Łoiow, Hrozow.

DECANATUS Augustoviensis.

Augustow	Petrus Pieńkowski.
Bargłow	Matthæus Pacoszewski *Decanus Augustoviensis*
Neta	Filia Bargłoviensis, Idem.
Grabowo	Idem *per Comendam.*
Raygrod	Paulus Karwowski.
Altaria	Idem.
Goniądz	Casimirus Godlewski.
Goniądz Præp: Xenodoch:	Joannes Jaworowski.
Karpowicze	Idem.
Trzćiána	Melchior Cimski.
Dobrzyniew	Joannes Pudłowski.
Jaśionowka	Joannes Wiszowaty.

Brzozowa	Matthæus Perkowſki.
Doliſtow	Joannes Kiełpſz.
Altaria	Thomas Jaworowſki.

DECANATUS Knyſzynenſis.

Knyſzyn	Hyacinthus Dębowſki.
Altaria	Staniſlaus Chodorowſki.
Krypno	Filia Knyſzynenſis, *Idem Parochus.*
Kalinowka	Matthæus Perkowſki.
Choroſzcza	PP. Ord: Prædicatorum.
Niewodnica	Thomas Karwowſki.
Turośnia	Adalbertus Kramkowſki.
Altaria	Staniſlaus Piekarſki.
Juchnowiec	Adamus Swierzbinſki C. L.
Altaria	Joannes Daniſzewſki.
Zabłudow	Ludovicus Skorupſki *Decanus Knyſzynenſis.*
Białyſtok	Sebaſtianus Wrzoſzkiewicz.
Præpoſit:	
Janow	Aloyſius Jamiołkowſki *per Comendam.*
Waśilkow	Andreas Konopka *per Comendam.*
Koryćin	Thomas Luboński.
Chodorowka	Simon Chormanſki.

Capella in hoc Decanatu.

Suchodolina.

F I N I S



Ad M. D. G.



